

Joseph Valiani del. *Ferd. Gregori Sculp.*

FRANCISCI ROSSI

IURISCONSULTI FLORENTINI

MONUMENTA

POSTHUMA

LATINA ET ITALICA



FLORENTIÆ

MDCCLXXXI.

EX TYPOGRAPHIA BONDUCCIANA

CENSORIBUS APPROBANTIBUS



PETRO LEOPOLDO

ARCHIDUCI AUSTRIÆ

MAGNO DUCI ETRURIAE DOMINO NOSTRO



Puſcula hæc literaria, & philoſophica, quæ ſubſecivis horis, & pro quadam a gravioribus negociis honeſta relaxatione Franciſcus Roſſi avunculus, & in forenſi palæſtra Præceptor

 meus

meus privato ſtudio conſcripſerat, nil mirum ſi te perhumaniter aſſentiente tantis freta auſpiciis in lucem prodeunt; ſponte etenim, & proprio animi motu REGIA TUA CELSITUDO Roſſium de Iuriſprudentia optime meritum è forenſi turba arripuit, eique ad dignitatem clauſtra refregit. Scientia enim condendi leges, quæ tua & propria eſt cum Iuriſprudentia arctiſſime coniungitur, unde erga Iuriſperitos, qui eam colunt favor, & munificentia.

Roſſius equidem, qui ad tam inſperatam ſortem ſuos eruditos labores pertingere unquam poſſe non cogitaverat ut Regio Tuo Nomini inſcriberentur, paucis poſt diebus ab auſpicatiſſimo in Etruriæ Dominationem Adventu Tuo in autumnali otio ſinceriſſimo quodam cordis affectu REGIÆ TUÆ CELSITUDINIS laudes Carmine celebravit, atque permulta corporis animique Tui præclariſſima ornamenta in latina Elegìa depinxit, pariterque beatitudinem illam vaticinatus eſt, qua optimo Principi obtemperantes quotidie perfruimur.

Vaſtiſſimum hoc, & ſublime argumentum virtutum omnium compendium am-

amplectens, pondus impar omnino viribus humeri mei recusant, nec non perpendendum quid aures Tuæ pati possint, non quod virtutibus debeatur. Unum dicere non morabor: Tuæ leges ubique laudibus efferuntur, illæque præsertim, quæ Commercii libertati, & ampliationi, & Agrorum culturæ, atque Oeconomiæ prospiciunt cum maxima admiratione inter remotas etiam Nationes excipiuntur. Inde arvorum ubertas exorta, inde Populorum industria mirum in modum adaucta, inde Provinciarum paupertas brevi temporis intervallo in opulentiam commutata. De Italiæ Populis testimonium ipse afferre possum, qui in Italia perlustranda famam magni Tui Nominis in omnibus Regionibus summa animi mei delectatione resonare intellexi, tuumque sapientissimum Imperium prædicari, tanquam perfectissimum ad gubernandum exemplar. Ex his purissimis fontibus solida, vera, æternaque Gloria proficiscitur, quam pro tuis heroicis virtutibus quam firmissime assequutus es. Harum omnium virtutum quotidie specimina præclarissima oculis nostris obversantur. Deus optimus maximus florentem

tem

tem ætatem Tuam ad ſummam Poteſtatem adduxit, ut Imperii diuturnitate optimæ leges verterentur in mores. Ad integram abſolutanque Etruriæ felicitatem id unum a Deo ipſo deprecor, ut per longam Te annorum ſeriem ſoſpitem, atque ſuperſtitem ſervet. Talia ſunt omnium, meaque in primis ferventiſſima vota; dum Regiam Gratiam ab incomparabili Tua Clementia humiliter implorans, devoto, fideliqué animi affectu memet profiteor.

Regiæ Tuæ Celsitudinis

Umillimus, & Addictiſſimus Famulus
necnon Subditus Obſequentiſſimus
CLEMENS DEL PACE.

INDEX

OPUSCULORUM

PRÆ-

PRÆFATIO EDITORIS

PRÆCIPUAM moralium virtutum laudem in actione non in contemplatione tantum sitam esse ubique in Philosophicis Institutionibus edocemur; id ipsum de scientiis dici potest, si ex excipiantur, quæ contemplatione adeo constant, ut actione penitus sint expertes; Iurisprudentia non in docendo solummodo dicendoque, sed etiam in agendo versatur, unde non immerito Iurisperiti a Forensibus exercitationibus penitus aborrentes cotibus assimilantur acuendis gladiis, ut pungere, & scindere possint aptissimis, quæ tamen sunt ad pungendum, vel scindendum prorsus inutiles, & inefficaces.

Cum vero Ius *ex Ulpiani* definitione sit *ars æqui, & boni*, æquum ab iniquo, licitum ab illicito discernens, idcirco Iurisperiti maximo apud cultiores Nationes in honore habiti sunt, quia veram Philosophiam profiteri censentur ut habetur *in L. pr. §. pr. ff. de Instit. & Iur.* „ Iustitiam namque colimus, & boni, & æqui notitiam profite„ mur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab „ illicito discernentes, bonos non solum metu pœ„ narum, verum etiam præmiorum quoque exhorta-

„ tione afficere cupientes veram (ni fallor) *Phi-*
„ *losophiam* non simulatam affectantes „

Nihilominus tamen non pauci sunt qui de Iurisperitis sinistre opinantur, & præsertim de iis male sentiunt, qui in Foro ad Causas tractandas, & decidendas sub *Pragmaticorum* nomine sese in totum dediderunt. Vetus contra Forenses inimicitia, & usque a remotissimis ætatibus adversus illos invidia, irrisio, & contumelia. Iisdem futilis, & cavillosa contra rectam rationem argumentatio, formularum abusus, defectus eruditionis, & bonarum artium ignorantia, atque exiguitas ingenii & prolixitas verborum obiicitur, adeout in re facili esse soleant multi, in difficili muti, in angusta diffusi. Nec minus animi vitia Forensibus exprobrantur, immoderata auri cupiditas, avaritia, arrogantia, impudentia.

De his omnibus plura testimonia veterum celeberrimorum Scriptorum afferri possent, sed opus non est maledicta, & irrisiones, quibus ab antiquis Satyricis, & Comicis Auctoribus Iurisperiti proscinduntur in medium proferre. Satis pariter notum est quacumque ætate nonnullis, & præcipue eruditulis quibusdam placuisse Forenses non curare, atque contemnere, & pro abiectione *Leguleios* appellare.

Haud tamen erit Ciceronis auctoritas prætereunda, qui etiamsi in Iurisprudentia non modice versatus, attamen pluribus locis de Iurisperitis male opinatur, & præcipue in Tractatu *de Oratore lib.* 1. ubi Antonius interlocutor eosdem acriter irridet, atque detrectat. In Oratione vero pro *Lucio Murena* contra Iurisperitum quendam sui Clientis Accusatorem invehendo non pauca in contemptum adducit ipsius scientiæ Iuris Civilis.

Sed

Sed si verum amamus quam levis sit hac super re *Tullii* auctoritas aperte dignoscitur; In disputationis enim calore disertissimus Orator totis viribus, & quibuscunque armis eloquentiæ adversarium suum contundere aggreditur. In eo ipso autem Tractatu *de Oratore* in quo *Antonius* contra scientiam Iuris civilis acerrime disserere conatur, *Crassus* alter in Dialogo interlocutor ita loquendo Iuris prudentiam, & Iurisperitos usque ad sidera extollit „ Accedit vero quo facilius perspici cognoscique ius civile possit, quod minime plerique arbitrantur mira quædam in cognoscendo suavitas, „ & delectatio &c. Ex his enim, & dignitatem maxime expetendam videmus, cum verus, iustus, „ atque honestus labor honoribus, præmiis, atque „ splendòre decoratur; vitia autem hominum atque „ fraudes damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, „ exiliis, morte mulctantur, & docemur non infinitis concertationunque plenis disputationibus, sed „ auctoritate, metuque legum, domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, nostra tueri, „ ab alienis mentes, oculos, manus abstinere &c. „ senectuti vero celebrandæ, & ornandæ, quod honestius potest esse perfugium, quam iuris interpretatio? Equidem mihi hoc subsidium iam ab „ adolescentia comparavi, non solum ad *causarum* „ *usum forensem*, sed etiam ad decus, & ornamentum senectutis, ut cum me vires, quod fere iam „ tempus adventat deficere cæpissent, ista a solitudine domum meam vindicarem „

De Satyricis, & Comicis supervacaneum est verba facere, cum per se apertissime constet quemcunque honestissimum cœtum, quemvis integrum vitæ hominem scelerisque purum ab eorum contumeliis nullo modo immunem esse posse; Talium

enim Scriptorum Inſtitutum in deprehendendis, & notandis hominum vitiis. conſiſtens ad proſcindendam famam bonunque nomen præclariſſimorum etiam virorum ſæpiſſime extenditur, eorumque vituperia, & maledicta benigne auſcultantur, quia humana conditio non patitur Viros etiam integerrimos ab invidia, privatiſque inimicitiis ſeſe poſſe tueri. Exemplum *Socratis* adducam, qui in Athenarum florentiſſima Republica degens, inter tot tantoſque Philoſophos doctiſſimoſque Viros, cum iam ex Delphico Oraculo ſapientiſſimus omnium ætatis ſuæ iuſtiſſime reputaretur, tamen publice de variis criminibus accuſatus in perpetuum Athenienſium Reipublicæ dedecus capitali pœna damnatus eſt, ea præcipue de cauſa quod Comicus *Ariſtophanes* inſidiis adverſariorum, & pretio auri corruptus in ſua Comœdia, cui titulum dedit *Nubes*, *Socratem* ipſum inter alios Interlocutores in ſcenam adducendo, eandem uti impium, criminoſum, nec non inutili, & ridicula tantum ſcientia præditum cum attico ſale, & mirifico Comicæ artis lenocinio depinxit; unde poſtea odium omnium fere Civium, & contemptus, ac tandem publica querela inſurrexit.

Quoad Eruditulos vero, & Pædagogos, qui perſæpe *Leguleios* contemnunt, & exprobrant, eorum conditionem eſſe commiſerandam nullus ignorat, pleranque etenim ingenii acumine, ſcientiarum præſidio, atque eloquentiæ ornamento penitus carentes in verborum grammaticali ſignificatione interpræetanda, & in colligenda rudi, atque indigeſta factorum congerie abſque ullo artis criticæ adiumento, tempus operanque impendentes prorſus inutiles in civili ſocietate reputantur, ac negliguntur, eorunque gloria ab ipſorummet tantummodo vocibus extollitur, ac celebratur, iiſdemque applicanda

eſt

est Fœdri sententia *Fab.* 17. *lib.* 3. „ Nisi utile est „ quod facimus stulta est gloria „

Vitia Forensium ex humana natura originem trahunt, atque in multitudine hominum vitia in unoquoque extirpari, ac penitus evelli posse, virtutesque omnes, atque animi dotes reperiri sperandum non est. Turba Forensium redundat in quacumque etiam bene ordinata Republica, & nonnulli Foro, ac Legibus non serio, ac decore, sed aut inepte, aut ridicule, aut vitiose etiam vacant, unde celeberrimus *Joseph Aurelius Ianuarius* in suis Carminibus cecinit:

Felix ars Iuris, felix hac arte peritus,
 Si foret huic arti dedita turba minor,
Cui facile ingenium, cui sit custodia morum,
 Cui constans recti sit bene cultus amor;
Nostra foret sors grata magis, nec dicere multi
 Auderent nocuum nos genus esse sibi.
Da paucos, dabis egregios; rem copia vilem
 Reddit: quod rarum est id solet esse bonum.
Est auro pretium, quia non reperitur ubique
 Tanti non esset si iacuisset humi.
Sed qui sunt, quorum tota est industria Iuri,
 Quorum spes lucri tota locata Foro?
Qui sunt forte rogas? Omnes, qui velle fatentur
 Nullus, ut expertum est, inde repulsus abit.
Atque boni, atque mali, stupidi, nimiumque sagaces
 Infima plebs, & flos nobilitatis item;
Divitiis pollens, & paupertate laborans
 Civis, & ignota vir regione satus.
Horum sunt plures, quos ornat gloria, plures
 Nolint, sive velint sunt mihi ridiculi &c.

Sed multitudo ipsa Forensium, quæ ali, et substineri non potest, nisi in opulenta Civitate, ubi adsit Negociorum, Causarumque affluentia, præcipuam occasio-

casionem suppeditat, ut gigni, ac procreari possint optimi Iurisconsulti. Perpetua enim contentio, qua Forenses in praeclarissima Curia versantes agitantur, longa meditandi, loquendi, & scribendi consuetudo ingenium in animis bene dispositis exacuit, & efformat, & praemii, honorisque cupido, quae sine probitatis laude consequi desperata omnino res est ad omnium virtutum exercitium acerrime impellit. Certum quoddam Collegium constituunt Forenses, ex quo si prodest Reipublicae nonnullos virtute, ingenio, ac scientia praestantissimos Viros exsurgere, tollerandi sunt, & protegendi in eodem caetu multi etiam qui in quadam mediocritate doctrinae constituti publicae utilitati nihilominus inserviunt, nec omnino deleri, atque extirpari potest improborum colluvies, qui legum auxilio, & poenarum timore facillime coerceri possunt; Respublica enim Platonis imaginaria, & humanae conditioni, & naturae minus accomodata fere conspicitur: Bona, & mala in humanis saepe commixta sunt, unde *Ovid. de remed. amoris lib.* 1. dixit:

Terra salutiferas herbas, eademque nocentes
Nutrit, & urticae proxima saepe rosa est.

Vitia igitur Forensium non magis quam coeterorum vitia hominum sunt redarguenda; utilitas vero artis in civili societate aperte dignoscitur statim ac munus, & officium Forensis in componendis, & dirimendis civilibus controversiis collocatum est. Civiles etenim quaestiones non armis, neque vi, sed auctoritate legum sunt terminandae; idque salus publica, civium securitas, & tranquillitas, nec non Principis Maiestas requirit. In illis praecipue Regionibus, ubi Ius Civile Romanornm receptum est quomodo arbitrium boni viri in deciden-

dis

dis quæstionibus interponi poterit, nisi adsint permulti Iuris Romani Periti, quibus custodia, interpratatio, atque applicatio legum committatur. Non paucæ Romanorum leges prorsus obscuræ certam interpretationem a Iurisperitis iam obtinuerunt iuxta quam Tribunalium Decreta emanarunt. Ius Civile Romanorum igitur, nec non interpretationes istas, & Decisiones adprime cognoscere Forenses opus est; Præterea certas solemnitates in contractibus, in condendis Testamentis, aliisque ultimis voluntatibus, nec non in Iudiciis certam formam leges præscripserunt, iuxta quas illi consilium, Iudiciumque suum accomodare coguntur. Professor Iuris ergo studium etiam, operamque impendit ad sibi comparandam scientiam earundem solemnitatum, & formularum, ut propterea de iusto, & iniusto respondere possit, atque in his præcipue tota conditur, & comprehenditur Forensium doctrina.

Romana Iurisprudentia, in qua potissimum Iuris Civilis cognitio consistit opportunitatem, commoditatemque Forensibus subministrat, ut Principia Iuris Naturalis, æquitatis, & iustitiæ, quibus innixa Leges Romanæ super omnes alias antiquorum Populorum leges eminent atque extolluntur, vel meditando, vel alio docente discantur, indeque proficiscitur ut Forenses in tale studium tota cura, & cogitatione incumbentes, animum, mentenque salutaribus regulis, ac sententiis exornent, ac repleant, quæ ad bene se gerendum in Civili societate, & ad mores componendos maximum præbent auxilium.

Nec obiiciendum est homines huiusmodi postquam per breve temporis spatium elementaribus istis studiis vacaverint, statim iis prorsus prætermissis ad Pragmaticorum libros, & repertoria convolare, quorum usus, & auctoritas etiamsi in Foro omni-

omnino usurpetur, tamen uti barbari, inculti, atque omni elegantiæ, atque eruditionis laude carentes communiter contemnuntur, ac reprobantur.

Pragmaticos equidem Scriptores, ut plurimum philosophiæ, humanarum literarum, historiæ, antiquitatum, atque artis criticæ subsidiis destitutos esse non negamus; attamen cum eorum labores, vel interpraetando, vel tractando, vel consulendo, vel decidendo ad Romanam Iurisprudentiam illustrandam dirigantur, nullo Iure improbari, aut detrectari ab æquis rerum æstimatoribus licet. Qui Pragmaticorum codices, ac labores nocturna diurnaque manu versare non fatigantur de Iurisprudentia Romana bene merentur, cuius sententias, & axiomata continuo repetita, & confirmata in eorum mentibus eo magis imprimuntur, adeout si Romanæ Leges in Corpore Iuris Civilis collectæ ad docendam æquitatem, & iustitiam, & ad mores dirigendos, corrigendosque mirifice inserviunt, Pragmaticorum scripta ad eumdem finem tendunt, & ad efformandos optimos cordatosque Cives sunt mirifice accomodata.

Et revera si qui in Curiæ palæstra optimum nomen, & famam adipisci cupiant, ex quo decus, præmia, & divitiæ interdum promanant, non solum a vitiis penitus alienos sese ostendunt, sed non pauca probitatis aliarunque virtutum specimina proferre certa quadam necessitate adstringuntur; non enim sola doctrinæ opinio ad virum prudentem consulendum, sed virtutis etiam laus quam maxime allicit; sui igitur ipsius amor per se tantum Forenses ad virtutem impellit; unde nil mirum si tot tantique integerrimi, ac cordatissimi viri *in nostra etiam Florentina Curia* reperiuntur.

Nec minus Forensibus animi, ingeniique dotes desunt. Qua enim in arte acutiori perspicaci, ac ver-

versatili ingenio magis est opus quam in Forensi exercitio? *Perpetua siquidem animi contentio* in disputatione, continuus mentis labor in difficillimis, ac fere metaphisicis quaestionibus dirimendis, quotidianus usus cum certa quadam praecisione, atque elegantia differendi tam loquendo, quam scribendo, necessitas res humanas, humanosque animi motus, & affectus perpendendi, & cognoscendi in Forensibus ut plurimum sapientes, ingeniosos, eloquentes, atque in rebus gerendis expertissimos Viros efformant, & componunt, & ideo non raro Iurisperiti in aliis etiam materiis extra Iuris Civilis provinciam, ubi consilium, vel necessitas loquendi, aut scribendi occurrat, & praecipue in rebus politicis super omnes alios aptissimi iure merito considerantur.

Plura privilegia Patronis, & Causidicis Leges concesserunt, eosdemque ad occupandas praecipuas Reipublicae Dignitates saepissime cooptatos esse perspicimus, ut refert *Gothofred. ad Cod. Theodosian. lib.* 2. *tit.* 10. *de Postulando tom. pr. pag.* 157. ubi aequiparando *Advocatos*, Causidicos, Defensores, & Patronos, eorumque laudes, & praerogativas enarrando ita loquitur „ Advocatorum porro officium „ laudabile, qua causa, & ipsi Advocati laudum, „ atque industriae amore duci dicuntur „ *L.* 77. *de Decurion. &c.*

„ Praerogativa advocationis *L.* 77 *de Decurion.* „ non una fuit. Honoraria scilicet intra modum his „ accipere licuit *L.* 2. *de concuss. Advocat.* ex hu„ iusmodi professione, vel ipsius occasione conqui„ rere *L. ultim. hoc tit.* sic, ut filii familias Ad„ vocati id post patris obitum praecipuum veluti „ peculium Castrense proprio domino valeant vin„ dicare *d. L. ultim.* Inter eos praecipua dignatio-

„ ne fuerunt singularibusque privilegiis supra cœte-
„ ros fruiti; Aliquando Advocati Fori Præfectorum
„ Prætorio *L. ult. infr. de Senat. d. L.* 188. *de De-*
„ *curion.* & Præfecti Urbis *d. L. ult. de Senat. &c.*
„ Alexandrinis item principalibus etsi Advocati fun-
„ gerentur nihilominus peregrinationis, ideft lega-
„ tionum onus incumbebat. Imo ex solo, ut dixi,
„ Advocatorum corpore sacerdotem provinciæ per
„ Affricam dari voluit Constantinus *d. L.* 46. „

Inter alia vero exempla permulta *Tribonianum* afferre liceat, qui in Foro Constantinopolitano munere Advocati perfunctus, ad sublimiores Imperii dignitates *ab Imperatore Iustiniano* evectus est, eidenque præclarissimum Corporis universi Iuris Civilis componendi officium collatum est.

In Codice autem Iustinianæo plures Leges reperiuntur, quæ laudes Advocatorum Patronorumque Causarum mirifice extollunt iisdemque quamplura conferunt beneficia. Videndi sunt *Tituli Codicis de Postulan. de error. Advocat. de Advocat. diverf. Iudic. de concuff. Advocat. & de Advoc. Fisc.*

Sed præsertim non est omittenda collatio Advocatorum, & Militum, quæ habetur in Constitutione Imperatorum *Leonis, & Anthemii relat. in Cod. Iustinian. tit.* 7. *de Advocat. diverf. Iudic. L.* 14. sequentis tenoris videlicet „ Advocati qui dirimunt
„ ambigua fata Causarum suæque Defensionis Vi-
„ ribus in rebus sæpe publicis, ac privatis lapsa
„ erigunt, fatigata reparant, non minus provident
„ humano generi, quam si præliis, atque vulneri-
„ bus Patriam, parentesque salvarent. Nec enim
„ solos nostro imperio militare credimus illos, qui
„ Gladiis, Clypeis, & Thoracibus nituntur, sed etiam
„ Advocatos. Militant nanque *causarum Patroni*,
„ qui gloriosæ vocis confisi munimine laborantium
„ spem, vitam, & posteros defendunt „ Di-

Dignitates vero, & honores præclarissimos Leges ipsæ Codicis Iustinianei decreverunt iis omnibus, qui in advocationis munere laudabiliter sese gesserint, ut præsertim *Imperator Anastasius in L. pr. Cod. de Advoc. divers. Iudic.* „ suggestionem Viri „ illustris Comitis rerum Privatarum, & Procon- „ sulis Asiæ duximus admittendam, per quam no- „ stræ Serenitatis auribus intimavit Fori sui Advo- „ catos communi petitione magnopere postulasse, ut „ postquam advocationis deposuerint officium, digni- „ tate quadam nostra auctoritate potiantur. Iubea- „ mus itaque post depositum (ut dictum est) præ- „ fatum Officium, ununquenque eorum qui in præ- „ senti sunt, vel postea matriculis eorum pro tem- „ pore fuerint inserti, clarissimi primi ordinis Co- „ mitis perfrui dignitate; quatenus, & tempore „ quietis fructum præteritorum laborum consequan- „ tur, proque fide, atque industria erga Clientes „ suos comprobata privatæ conditionis hominum „ multitudine segregati clarissimis merito connu- „ merentur „

Neque in dubium revocari potest honores istos ac dignitates uti præmia virtutis leges ipsas contulisse: apud cultiores etenim Nationes communiter receptum est virtutis semitam ad honores adducere: *Marcellus* duo Templa contigua Romæ consecravit, *Virtuti*, & *Honori* adeo constructa, ut nemini ad Templum Honoris accedere licuerit, nisi Templo *Virtutis* prius peragrato, ut refert *Livius histor. lib.* 21. *cap.* 25. idque, ut opinatur *Symmac. lib.* 1. *epist.* 14. ad docendos homines, Virtutis præsidium, atque ornamentum, quam maxime ad assequendos honores opitulari.

Sileant ergo maledici, & otiosi, qui livoris tantum, & invidiæ causa malignas voces quotidie

contra Forenses effutire non erubescunt. Animi enim virtutes, & ingenii, & doctrinæ laudes, quibus Forenses sæpissime exornantur, auctoritatem defensionenque Legum pro se habent, & in quacunque bene constituta Republica Iurisperitus qui in defendendis, vel decidendis Causis Civilibus publicam opinionem, popularemque plausum assequtus sit, maximo in honore habendum esse, & haberi nemo auserit inficiari:

Nec voces eorum auscultandæ, qui Forenses, uti plerunque parum, vel nihil in Philosophia, in humanioribus Literis, atque in eruditione versatos, barbaros appellant. Satis enim quotidie experimur tales etiam Iurisperitos quam maximam utilitatem civili societati impertiri in consulendo, nec non in decidendo, & mirabile ingenium, solida eloquentia, ac summa in rebus gerendis experientia, & dexteritas in iisdem conspicitur, unde afferri potest *Gravinæ sententia in epist. nuncup. ad tractat. de orig. Iur.* „ Neque enim ab omnibus Iuris Professoribus perfecti Iurisconsulti doctrinam, acumen, „ & eruditionem contendimus, cuiusmodi per raros „ admodum singulæ tulerunt ætates, sed plerumque „ satis fuerint ea, quæ politum præstent, ornatumque Causidicum, quo iurisprudentia puris attrectetur manibus, & Forum quantum per consuetudinem licuerit expietur „

E contra autem nonnullorum Forensium consuetudo improbanda est, qui illa mentis, animique ornamenta, quibus sunt destituti in aliis detrectant atque contemnunt; autumantes solam Pragmaticorum doctrinam perfectum Iurisconsultum constituere; non ita vero se res habet, Philosophiæ nanque, Historiæ, Antiquitatum, humanarumque Literarum præsidia comparanda sunt, statim ac in men-

tem

tem venerit ad secretiora Themidos adita penetrare.

Philosophia sublimis scientia prima legum principia amplectitur, atque ex natura originem trahit eiusdemque finis ad impediendam naturæ legum infractionem dirigitur. Definitio Philosophiæ cum definitione Iurisprudentiæ coincidit, & collimat *Cassiodor. in Dialectic.* „ Philosophia est divinarum, hu„ manarunque rerum, in quantum homini possibile „ est probabilis sententia „ eidenque consimilis est notissima Iurisprudentiæ definitio, quæ habetur *in §. pr. instit. tit. de iustitia, & iur.* „ Iurisprudentia est Divinarum humanarumque rerum notitia „ iusti, atque iniusti scientia „

Uti animam, & originem Iurisprudentiæ Philosophiam habendam esse apertissime constat, cum tam ab antiquis, quam recentioribus nationibus observetur Philosophos ad legislationem constituendam fuisse convocatos; nil mirum igitur si ad exercitium Iurisprudentiæ Philosophiæ Præsidio opus sit, & præcipue metaphisicam morunque doctrinam colere oportcat. Quomodo enim absque illarum auxilio poterit Iurisconsultus eas leges interpretari, quæ differentiam conditionum respiciunt, præscribunt obligationes, potestatenque decernunt? Quomodo de illis disserere, quæ ius publicum, Populorum iura mutuaque Gentium pacta respiciunt? Quomodo tot leges intelligere, quæ ad matrimonia spectant, Patriam Potestatem, Pubertatem, Contractus, multosque actus feciales respiciunt quæ in Corpore Civili reperiuntur, & quæ, ut notissimum est moralis Stoicorum Philosophiæ principiis præcipue innixæ sunt? Præterea in quacunque iuris quæstione, vel rationalis, vel moralis Philosophiæ adiumentum necessarium est, ut optime docet *Quintilian. Institut. Orator. lib. 12. cap. 2.* „ omnis Iuris quæstio, aut verborum pro-

„ proprietate, aut æqui disputatione, aut volunta-„ tis conjectura continetur, quorum pars ad ratio-„ nalem, pars ad moralem Philosophiam redundat „

Non inutile est etiam Iurisconsulto aliquam notitiam habere earum rerum, quæ ad Physicam Geometriam, Mechanicam pertinent aliasque cognitiones mathematicas acquirere, quæ sub scientia Philosophiæ continentur. In Corpore etenim Iuris Civilis plures leges occurrunt, quæ Commercium maritimum, & terrestre, Navigationem, Flumina, Torrentes, Vias publicas, Agriculturam, Ædificia publica, & privata, omnesque artes, & industrias respiciunt, quibus interpraetandis physica, & mathematica scientia non parum auxilii præbet; precipue vero Methaphisicam. & Moralem colere Iurisconsultum opus est, qui merito Philosophus erit nuncupandus, si harum partium Philosophiæ studio non leviter incumbat.

Eo modo vero quo Philosophia causas & rationes sanctionum, æquitatisque legum declarat, docetque ex legibus iusta, & recta corollaria argumentando deducere, Historia attenta morum mutatione, qui antiquorum romanorum ætatibus observabantur, nostros mentis oculos ad ea tempora convertens, & cognitionem rerum Romanarum suppeditans ad illustrandas leges mirifice opitulatur.

Romæ semper Peregrinus erit, quicumque mores, consuetudines, & vivendi rationem Romanorum non noverit, quæ res arctissime cum eorum legibus coniunguntur. Idcirco Historiam romanam, romanasque antiquitates disquirere rationabiliter non utile tantum, & opportunum, sed necessarium etiam ac proprium optimo cuicumque Iurisconsulto reputatur „ nescire quid antequam natus sis acciderit, id est esse semper puerum. Quid enim est

„ ætas

„ ætas hominis, nisi cum memoria rerum veterum „ cum superiori ætate contexitur &c. „ ut ait *Cicero* in Libello, qui inscribitur *Orator*.

Omnes Iurisconsulti, qui ad summam Iurisprudentiæ laudem pervenerunt in historiæ studio quam maxime versati optimum duxerunt, & multorum exempla prætermittendo sola *Iacobi Cuiacii* auctoritas alliganda est, qui tantam in Romana historia peritiam adeptus est, ut veluti alius *Titus Livius* ab Auditoribus auscultaretur: sicuti in eius Elogio enarrat *Papirius Masson* „ ut enim apes regem suum „ quocunque ierit, sic adolescentes Iuris studiosi „ Cuiacium sequebantur; Veneruntque e Germania „ aliisque longinquis Provinciis in Galliam complu„ res omnibus virtutibus politi tantum ut Cuia„ cium velut alterum *Livium* viderent, utque cum „ eo colloquerentur „

Et quia Latinæ Linguæ cognitio ad Historiam, Romanasque antiquitates dignoscendas præsertim conducit, idcirco optimorum Latinæ Linguæ Scriptorum, qui inter Grammaticos, Oratores, Rethores, Poetas, Historicos connumerantur, studium, & lectio Iurisconsulto quam maxime prodest, unde humanarum literarum scientia necessario promanat, quæ ad ingenium acuendum, & ad eloquentiam, & styli elegantiam, tam in loquendo, quam in scribendo adipiscendam præcipuum auxilium afferre ubique notissimum est.

Florente Romana republica nemo Iurisconsulti nomen usurpare ausus esset, nisi in humanis literis versatus antiquitates etiam cognovisset, ut testatur *Cicero de Orator. lib. 1.* & sæpissime in optimorum Scriptorum lectione incidimus in eas partes, ubi alicuius Iurisconsulti laudes efferuntur, inter quas peritia in humanis Literis, & Romanis anti-

qui-

quitatibus præcipue celebratur. *Plinius lib.* 1. *epist.* 22. laudans *Aristonem* Iurisconsultum de eo sic verba facit „ Quam peritus ille & privati iuris, & publici? „ Quantum rerum, quantum exemplorum, quantum „ antiquitatis tenet? nihil est quod discere velis, „ quod ille docere non possit? mihi certe quoties „ aliquid abditum quæro, instar thesauri est „ Et *Aul. Gell. noct. attic. lib.* 13. *cap.* 12. in laudem *Antistii Labeonis* ait „ eumdem nihil decidere voluisse, „ nisi iuxta proposita in Romanis antiquitatibus.

Plura veterum Interpretum, & Glossatorum exempla adduci possent, qui Romanas Leges interpretando in gravissimos, & pudendos errores inciderunt, eo quia romanam historiam, romanasque antiquitates penitus ignorabant, sed de hoc uti de re compertissima opus non est verba facere.

Isti antiqui Glossatores excusatione digni reputantur propter ætatem in qua vitam degere iisdem contigit, non vero tam faciliter excusandi sunt recentiores Iurisconsulti, qui in tanta luce, ad quam celeberrimorum virorum præsentis, & transacti seculi laboribus Philosophiæ, humanarum literarum, nec non Historiæ, Romanarunque antiquitatum præsidiis Iurisprudentia pervenit, in barbarie nihilominus versari non dedignantur.

Non ita in Iurisprudentia Forensi pertractanda sese *gessit Franciscus Rossi*, qui ex honestissima antiquorum Civium Familia tam ex paterno, quam ex materno genere originem, & natales trahens Florentiæ in lucem prodiit anno repar. sal. MDCCIX. Ipse ab incunabulis non levia ingenii atque animi ad virtutem bene dispositi specimina præmonstrans, atque portendens, diligentiam, industrianque cordatissimorum genitorum excitavit, ut nihil adversæ fortunæ impedimentis deterriti, eundem in huma-

nis

nis literis cœterisque nobilioribus scientiis, ac disciplinis instituendum curarent; brevi temporis intervallo, assiduo studio, & indefesso labore tantam in græca, latina, atque etrusca lingua, nec non in humanis literis peritiam adeptus est, ut adhuc adolescens in iisdem Idiomatibus ingeniose, atque eleganter carmina, solutosque sermones, ac dissertationes componere omnium admiratione videretur, adeout inter suæ ætatis adolescentes sese extollens veluti exemplar indicari mereretur: Non minorem laudem in Philosophia, Mathematica, aliisque facultatibus acquisivit, ac deinde ad Iurisprudentiam animum, cogitationenque convertens, totis viribus in Pisana Academia ad Iuris Civilis scientiam adipiscendam sese dedidit, doctissimorum Præceptorum Institutiones, & Prælectiones quam frequentissime auscultans, nec non Corporis Iustinianæi, optimorumque Scriptorum volumina indefesso studio pervolvens, vixque quartum lustrum attingens Laurea Doctoratus decoratus est.

Avitis opibus, donisque fortunæ adprime carens, cupiensque ad Coniunctorum præcipue utilitatem rem familiarem reparare, atque in melius constabilire, quam citissime ad Forensis artis exercitium in eorum classe sese convertit, qui *Procuratores* in Florentina Curia vulgo nuncupantur. In hoc exercitio tantum probitatis, ingenii, ac doctrinæ meritum assequtus est, ut brevi temporis spatio ad meliorem fortunam pervenerit, & in iuvenili ætate Clientibus undique consertus ac constipatus, gravissimisque negociis oneratus; iure merito inter primarios Iuris Professores connumeraretur.

Quia vero scientiæ mutuo veluti fœdere coniunguntur, ut ait *Cicero in Oratione pro Archia*. „ Etenim omnes artes, quæ ad humanitatem per-

„ tinent habent quoddam commune vinculum , & „ quasi cognatione quadam inter se continentur „ cuius veritatis ignorantia plerumque bonarum artium cultores a Iurisprudentia abhorrent, & Iurisperiti humaniores literas despiciunt; idcirco *Franciscus Rossi* longe diversa sentiens utroque ex agro uberrimam segetem sibi colligendam arbitratus est.

Nunquam grecæ, nunquam latinæ linguæ, humanarumque literarum studium deseruit. Philosophiam, Romanas Antiquitates percolere, ac præterea Rem Diplomaticam, Medii Ævi, & Patriæ Historiam, nec non universam Eruditionem, ac Philologiam attingere, atque amplecti optimum duxit. Nec parvum *Rossio* Metaphisicæ, Historiæ, Artis Criticæ, & Rei Diplomaticæ scientia auxilium præstitit in forensibus Disputationibus; non raro etenim ei contigit quasdam Causas in Foro pertractare, ubi doctrina ab istis fontibus, non ex Pragmaticorum scriptis tantummodo promanans, clarum lumen ad suorum Clientum utilitatem impertita est.

Selectissimam, ac cultissimam Bibliothecam collegerat, quam semper in deliciis habuit, & cum ingenium literariis istis, ac philosophicis studiis mirifice deditum sibi efformaverit, hinc ubi animus ex Forensi strepitu reficiebatur, auresque convicio defessæ conquiescebant, nihil suavius invenit, quam in recolendis iisdem studiis tempus, ociumque impendere. Tam apte horas temporis dividebat, ut quanquam maxima, & graviora aliena negocia curaret, modica, & sua non defereret. Singulis pœne totus addictus, ut erat universis, & cum omnia diligenter expleret uni sedulo incubuisse videbatur.

Præ-

Præterea cum doctissimis suæ ætatis Viris versari, eorunque amorem, ac benevolentiam sibi comparare non prætermisit; sæpissime vigente iuventute *Salvinium*, *Iosephum Averanium*, *Bottarium*, *Capassium*, aliosque celeberrimos alloquebatur, & in maturiori ætate arctissimam cum *Antonio Cocchio* amicitiam contraxit, in cuius eruditam domum Philosophorum, ac Literatorum delectus numerus quotidie conveniebat. Tales enim eruditæ confabulationes, quibus Lectissimi Viri per non indoctum ocium utuntur, alunt acuuntque ingenia, ac non exiguam delectationem, nec levem afferunt utilitatem.

Ex tot tantisque fontibus limpidissimis ex quibus sapientiam hauriri posse *Franciscus Rossi* autumavit, tanta lux persulxit, ut merito sapientissimus communiter haberetur, tantaque erat in eius ore gravitas, & eloquentia, tantum ingenii acumen perfulgebat, tam prompta in eius sermone opportuna, & non intempestiva eruditionis subsidia attico sale commixta dignoscebantur, ac tanta denique in eo morum suavitas, & humanitas reperiebatur, ut quicunque optimum deliciosumque solatium existimaret in eius colloquio, & confabulatione detineri.

Non equidem de Forensibus controversiis, vel de præclaris in Causis agendis facinoribus, vel de victoriis in Curiali certamine relatis sermo versabatur, quæ fere est Causidicorum parum auscultantibus grata consuetudo; *Rossio* nempe animi vires suppetebant, nec deerat materies, ut de seriis rebus eloquenter atque erudite, & de iucundis lepide, ac festive perloqueretur exemplo celeberrimi Iurisconsulti *Caietani Forti*, qui in Dialogo *Philippi Bonamicii de Claris Pontificiarum Epistolarum*

rum Scriptoribus sic loquitur „ Nusquam enim libentius sum , quam ubi huiusmodi amœniores „ disputationes incidunt , atque agitantur , neque „ ferre possum quorundam Patronorum insulsitatem , „ qui quocunque in loco , & quoscumque inter „ homines habent semper in ore *Causas* , *Iudicia* , „ *Forum &c.* „

Octo integra lustra in Forensi Exercitio *Franciscus Rossi* laudabiliter expleverat ; summa enim modestia , qua erat præditus , ac certa quædam philosophica animi tranquillitas quancunque dignitatum , atque honorum cupidinem in eo conterebant , atque extinguebant , cum annum sexagesimum attingens placuit PETRO LEOPOLDO Magno Duci Domino Nostro Clementissimo , ac Sapientissimo ex suo proprio motu eundem ad munus Iudicis in Curia Commercii , & Artium adsciscere . In hoc novo curriculo Regio suffragio suffultus , atque ita nonnullorum invidia liberatus , maiori etiam cum plausu , apud optimum quenque laudem perfectissimi Iurisconsulti adeptus est . In eo iustitia , humanitas , & patientia , nec non ingenii perspicacia , & doctrina , ac certa quædam iucunditas apparebat , unde sæpissime ad gravissimas controversias decidendas evocatus fuit præter Officii sui munera . Quo factum est ut spatio annorum octo ad exitum vitæ suæ quibus Curiæ Artium , & Commercii Iudex sedit doctissimas ediderit decisiones magnam in partem typis evulgatas , & quæ simul collectæ quatuor non parva Volumina componunt , quæ propter styli elegantiam ac summam Iurisprudentiæ doctrinam maximo in prætio ab Iurisperitis habentur .

Tandem annum agens sexagesimum octavum morte ereptus est cum amicorum , atque honestorum virorum lacrymis quarto Kalend. Octobris anni

ni MDCCLXXVII. In eius Bibliotheca post eius mortem Codex quidam manu exaratus, & fere in totum authographus repertus est, diversa Opuscula philosophica, atque erudita, partim Latine, partim Italice, partim Poetice, partim soluto sermone conscripta privato studio in feriis præcipue autumnalibus, & in Carcheriano fundo, quem in Valle Pesæ Fluminis proprio ære sibi comparaverat, quorum nimis modeste de se cogitans, nec amicis, nec sanguine coniunctis copiam nunquam fecerat.

In eius Elogio typis edito anno MDCCLXXVIII. hæc Opuscula enarrantur eorunque aliquod specimen indicatur: inde amicorum, ac præclarissimorum virorum cupido, & postulatio ut ipsa Opuscula in lucem proferrentur. Codicem proprio ære in licitatione acquisitum post longam perplexitatem doctissimorum hominum suffragiis innixus, qui eundem diligenter, & cum critico examine pervolverunt, tandem in sententiam veni ut typis ederem, & publicarem.

Grati, ac benemerentis animi ratio erga memoriam Præceptoris humanissimi, & arctissimo sanguinis vinculo coniuncti me potissimum in hoc consilium adduxit, sed non parum cohortatus sum alia consideratione, quod in istis Opusculis non leviter, nec ineleganter de Forensi Iurisprudentia differitur, nec non de illo Iurisperitorum cætu qui in classe *Procuratorum* describuntur: Auctoris probitas, & doctrina in Iurisprudentia, æque ac eiusdem literarii, atque eruditi labores, nec non rationes opportune allatæ in tractanda Forensium Causa mirifice inserviunt ad profligandas, & contundendas invidorum, & maledicorum calumnias, & contumelias, quibus malignitate tantum permoti famam Causidicorum conterere, ac pessundare conantur.

Maxi-

Maximum denique solamen impertita est, viresque animi mirum in modum adauxit Sapientissimi PETRI LEOPOLDI Magni Ducis Domini Nostri Munificentia, & Clementia, qui benigne annuit, ut sub eius Regiis auspiciis hæc Opuscula ederentur. Et sicuti ad tutelam etiam Forensium diriguntur eiusdem providissimæ Leges, quæ Forum, Forensesque viros respiciunt; ita & hæc dicari sibi permittens Forensium honori consulere non dedignatus est, quorum cœtus cum in Civili societate non abolendus, neque extirpandus sed imo sit protegendus, uti quam maximam afferens Reipublicæ utilitatem, necesse est, ut in honore habeatur, ex monito *Ciceron. Tuscul. lib. pr.* „ honos alit Artes, omnesque incenduntur „ ad studia gloria, iacentque ea semper quæ apud „ omnes improbantur „

DE

DE IURISPRUDENTIA
FORENSI
DIALOGI DUO



DE IURISPRUDENTIA FORENSI

DIALOGUS PRIMUS

INTER pulcherrimas Etruriæ Valles, ea præsertim iucundissimum præbet prospectum, quæ a fluvio *Pesa* per ima arvorum præterlabente nomen ducit: Ager ibi *Carcherianus* salubri cœlo, uberi gleba, purissimis fontibus, partim campestris, partim vero collibus ad orientem, vel ad meridiem molliter deflexis situs est. In medio agri ubi paullum locus intumescit *Trebatius* I. C., ut animi vires recrearet, se ad rusticandum contulerat; annua namque autumnalis a studiis literariis vacatio recurrebat. Finitimos ibi quoque agros, ruri tunc degens, *Sabinus* possidebat, doctus satis, & eruditus iuvenis, qui adhuc Iurisprudentiæ gymnasia frequentabat colebatque hæc studia summa animi alacritate: Cum igitur *Sabinus* ad *Trebatii* villam se transferre in animo haberet, *Trebatius* ei obviam prodivit, & salutatione inter ipsos vicissim comiter facta, pari consilio lenta ambulatione utendum esse statuerunt:

TREB. Liberale, & munificum esse officium puto, opem ferre supplicibus, amicorum caufas defendere, civium tandem vitam, honorem, fortunasque tueri; hæc omnia humani ingenii mansuetique animi indicia sunt. Hi profecto ab antiquissimis usque temporibus *Iustitiæ Sacerdotes* nuncupantur, qui veram non fictam Philosophiam affectare dicuntur; quorum voluntaria Prætura oraculum est totius Civitatis; quoniam ad eos extra necessitatem Iurisdictionis homines certatim veniunt; quorum ianua, & vestibulum maximo quotidie Patriciorum splendore, & populi consuetudine frequentatur. Talem quidem velim esse sapientem, qui non secretis, vel inutilibus disputationibus, sed rerum experimentis, & factis se vere civilem virum in republica exhibeat.

SAB. Revera forenses I. C. in minima, & tenuissima scientia versantur: Dignitas enim in tam tenui scientia, quæ potest esse? res enim sunt paucæ prope in singulis literis, & interpunctionibus occupatæ, talibusque ineptiis fucata sunt omnia. Hinc Pragmaticorum libri in omnium manibus iactati, & excussi manifestimi prudentiæ, fraudis autem, & stultitiæ plenissimi. Sublimem Iurisprudentiam, & quæ caput inter nubila tollit, non tantum maxime facio, verum ego quoque profiteor. Nunquam autem perferre, nec pati potero forensem abiectam Iurisprudentiam, eorunque Scriptores; in quorum scholis me rudem esse profiteor; nihil enim habui unde discerem.

TREB. In parvis navigiis te rudem esse profiteris, quinqueremes autem, vel alias maiores naves te gubernare præsumis? Sed dic quæso, quam esse putas sublimem, quam vero abiectam Iurisprudentiam?

SAB.

Sab. Sublimem puto Romani Iuris ſapientiam, quæ in repoſito Pandectarum Theſauro adſervatur; ad quam illuſtrandam, homines omnium fere Nationum ingenio excellentes certatim ſe contulerunt, quorum choros ducit magni ſyderis inſtar *Iacobus Cuiacius:* Abiectam vero eam eſſe puto Iuriſprudentiam, quæ in Foro verſatur, & in verbis Accurſii Bartolique hæret, quos veluti Parentes Forenſes amant, & tamquam Deos venerantur.

Treb. Quid iſtuc Sabine! Cur unam Iuriſprudentiæ partem ab altera divellis, & unum corpus in duas partes dirimere ſtudioſe cogitas? Quo conſilio diſcimus Ius civile? ea tantum ſpe plurimi, ut vel ad res iudicandas, vel ad cauſas agendas in Foro inſtructi, & parati prodire poſſimus; non eo certe conſilio, ut in grammatica, & hiſtorica Pandectarum cognitione tantummodo oblectemur. Porro ſi totam Budæi ſcientiam penitus haurire, & abdita Philologiæ penetralia adire tibi forte contigerit etiam inde in Foro te expecto. Id namque perinde eſt ac ſi Monachi noſtrorum temporum candidatos ſuos ideo doceant in ſupplicationibus ſolemnibus ſaltare, quod Salii Romani id olim facere conſueverint.

Sab. Omnis ars apprime a præceptis proficiſcitur, quæ theoretica, ſeu præceptiva pars dicitur: Hæc autem præcepta ad uſum noſtrum opportuna derivatione convertere ad practicam exercitationem pertinet; quæ res alteram efficit Iuriſprudentiæ partem. Fateor itaque unam ab altera divelli non poſſe. At vero quemadmodum nulla ars ſine præceptis regi, & gubernari poteſt, ſic Forenſis Iuriſprudentia, longo intervallo a Romanis Legibus diſſita, ita ægre ferenda eſt; ut Forenſes ipſi, ſi ſaperent, credo equidem non ita ſibimetipſis indulgerent.

Treb.

TREB. Recte sane: sed unde praecepta hæc petenda sunt?

SAB. Ex antiquo Romanorum Iure, & ex illa adeo pretiosa Triboniani reliquiarum theca ex qua omne Ius nostrum promanat.

TREB. Vide primum quid agas in hoc exordio: Nam hodie vos Neoterici fere omnes in scholis quibusdam, ex Morali Philosophia, & ex iure naturali præcepta legum deduci omnino oportere contenditis. Præterea non solum maculas, & nævos Pandectarum acerbissime reprehenditis, verum etiam totum Pandectarum opus risu, & convicio excipitis, quod neque utilitatem habeat, neque usum in vita. Et Tribonianum cum Collegis male traducitis, tanquam oscitanter, nec satis bona fide versatos; eorumque centonem ex variis laciniis, hinc atque illinc adscitis male contextum vituperatis. Quapropter abiecto huiusmodi inani studio, ad rectam quam vocatis rationem, & ad rationalem Philosophiam tantummodo excolendam Iurisperitos convolare compellitis.

SAB. Mihi tamen adeo mens inops esse non potest, ut ita temere tot antiquis reliquiis, & præcipue tot classicis Scriptoribus, qui tempore Romanæ Reipublicæ, & Imperii floruerunt detractum cupiam. Norunt namque omnes boni, & cordati Viri, quantum in illis veræ sapientiæ, eruditionis, & elegantiæ lumen refulgeat: quantum æquum ab iniquo secernere, & homines iustitiæ fœdere coniunctos ad societatem componere potuerint. Itaut fateri necesse sit, non nisi ex his fontibus totius pacificæ artis elementa hauriri posse, in quibus sapientia, æquitas, humanitas mirum in modum elucet; si quis vero omnia hæc ex solo naturalis rationis lumine profluere sibi suaserit, a veritate longe aberrat.

tat. Sæpius enim errare contigerit qui sequi vellet tantummodo naturalis rationis seorsim sumptæ consectaria, posthabitis positivis XII. Tabularum, Ædilium, Prætorum, & Cæsarum Iuris Sanctionibus; harum igitur Legum scientiam Iurisperitis admodum necessariam esse pro certo habeo. At vero cavendum est ne Iurisconsultorum sententias, Romanasque Leges cum opinionibus Interpretum Accursianæ, & Bartolinæ sectæ coniungere velimus. Hi enim (proh dolor!) intemeratam, & sanctam Iustitiæ arcem diripuerunt, eamque sub amicitiæ specie evertere, & polluere ausi sunt. Quod si Cuiacianæ scholæ Interpretes in honore essent apud Forenses, eosque in deliciis haberent antiqua Romanorum Iurisprudentia ad pristinam dignitatem, & amplitudinem brevi consurgeret; & ita nativo splendori restituta, lucida Iustitiæ tela in oscuris forensium diverticulis splendide iacularet, & Forenses ex Leguleis vere evaderent Iurisconsulti.

Treb. Fallacia alia aliam trudit. Romanorum Iura ab Imperatore Iustiniano in unum Corpus digesta nullam apud Populos vim, potestatemque exercere valent, nisi vel publica auctoritate, vel quotidiana consuetudine, & frequenti Populorum usu recepta sint. Igitur ex usu, & receptione Populorum vis, & potestas Romanarum Legum promanat. Usus vero frequens, & unanimis Populorum receptio, una cum Legibus, & Consuetudinibus Longobardorum admixta, ex Italiæ gymnasiis, & precipue ex Irneriana palæstra profluxit, genus unde omnium Interpretum feracissimum, & Accursiani, Bartolinique patres, qui quamvis vere potius Legum conditores, quam interpretes dici possint, usum tamen, & consuetudinem iudicandi in supremis gentium Dichasteriis, & Sub-

sellüs

fefliis ftatuerunt. Hi Romanas Leges, quadam vel æquitatis fuavitate, vel morum concinnitate, vel fi mavis propria auctoritate, partim mutilas, partim correctas, partim vero in alium fenfum Italis detortas, tradiderunt. Quod quamvis ab initio minus recte factum effe velimus, nihilominus ex hoc fonte Ius quo utimur, & in quo verfamur promanat. Quod cum fit adeo longævum, & tanta rerum iudicatarum frequentia munitum, ab eo non licet amplius difcedere, nifi rerum dominia, civiumque bona in incerto ponere, & privatorum fubftantias fus deque tollere cogitemus. Quicumque inveteratam iudicandi confuetudinem peffundare auderet; Leges refigere; populorum iura convellere; fortunas hominum (tanquam ædes fublapfo fundamento) fubmovere auderet. Nec afferendum eft, ufum, & confuetudinem parvi pendendam effe, & ex folida Romanarum Legum auctoritate acriter effe oppugnandam. Nulla enim eft apud nos Romanarum Legum auctoritas, nifi ufu, & confuetudine Legum fupplente, recepta fit. Ufus enim, & confuetudo iudicandi pro Lege eft, & apud Italos tanquam Ius univerfale italicum fervari debet; quemadmodum exploratum eft apud omnes gentes Ius confuetudinarium fervari. Tribus namque vivitur modis; natura, confuetudine, & lege. At confuetudo pro lege eft, & natura focietatis vinculo obftricta in lege, & confuetudine verfatur.

Sab. Haud equidem inficior ex recepto, & frequenti Populorum ufu Romana Iura vim, & auctoritatem Legum apud nos recepiffe. Fatebor etiam plurimas Romanorum Leges ufu neglecto ab aula receffiffe; multas etiam a moribus noftris longo diffitas effe intervallo, complures tandem, vel ex ftatutaria fanctione, vel ex contraria confuetudine

penitus esse abrogatas. Nihilominus mihi sthomacum movent, quoties in iis assequendis, quæ moribus receptæ, & iudicandi consuetudine confirmatæ sunt, Interpretes rudes, & agrestes sectantur, etiamsi præsto sint politiores, & elegantiores Romanarum Legum Interpretes.

TREB. Ego vero utrosque Iurisprudentiæ Interpretes consulendos, & excolendos esse arbitror, primosque a secundis divelli minime posse contendo. Qui *Cuiacium*, *Donellum*, *Hotomannum*, *Fabrum* tantum consectantur plura sciunt, plurima tamen ignorant ad plenam, & perfectam Iurisprudentiam assequendam. Ignorant enim Patrias Leges, earumque interpretationem in Foro, consuetudinem iudicandi, & rerum iudicatarum congeriem, Tribunalium denique ritus, & formulas, & ordinatoria Iudicii non callent; quæ res omnes maximam Iurisprudentiæ partem efficiunt. Qui vero Bartolum, & Baldum, Gratianum, Rotarum Decisiones, & innumeros Forensium libros in deliciis tantummodo habent, altera & peiori labe laborant. Nam scientiam hauriunt ex sordidis rivulis, numquam ex ipso fonte petunt aquas. Indicibus tantum, & repertoriis hærendum esse autumant; ventosa, & enormi loquacitate utuntur Sophistarum more in nugis subtilibus ambitiose versantur, & in tortuoso, & obscuro cogitationum ambitu ius reponunt. Qua de re non tantum artis præcepta ex ipso fonte petere, & cultiores interpretes excurrere, & investigare necesse est, sed etiam forensium exercitationes, Tribunalium placita, Pragmaticorum responsa, scientia, & usu assidue consectari oportet. Quid iuvat Forensi, tantam impendere diligentiam & inanes meditationes suscipere circa plura Iuris Romani capita, quæ ad histo-

riæ,

tiæ, seu philologiæ provinciam pertinent, & quæ hodie nec recepta sunt, nec fortasse ab ipsis Iustinianæis antecessoribus recipi potuerunt. At è contra si quando Forensis iurisperitus scientiam suam ex indicibus, & conclusionibus, ut aiunt, tantum educere cupit Pragmaticorum umbram, & imaginem scientiæ complectitur, quæ per auras cito dilabitur par levibus ventis, volucrique simillima somno.

Sab. Quamvis te plurimi faciam, si tamen usum, & consuetudinem quam me sectari cupis in Libris Pragmaticorum perquiram; quid supererit, nisi ut cogar sæpius iudicium de usu, & consuetudine Legum suspendere. In utramque enim partem innumera auctoritatum congeries proferri potest, opinionum contra opiniones, comunium contra comunem, sublata forsan spe victoriæ. Ita inter se fere omnes forenses Scriptores tamquam in acie digladiantur, & unus in alterum irruit, & vicissim prosternuntur. Quis itaque poterit, adeo inter se dissidentes, & repugnantes sententias colligere, & ad concordiam revocare?

Treb. Ingenium hominum maxime est ad dissentiendum proclive; satis cuique notum est, quam diversæ fuerint Philosophorum Familiæ, quantæ Theologorum Sectæ, quam variæ in rebus tam Phisicis, quam Moralibus sententiæ. Extant adhuc in Libris Pandectarum plurima discordiarum vestigia, inter diversæ Scholæ Auctores, & quantum Sabiniani a Cassianis de omni re dissentirent; Proculeianis vero, & Pegasianis non idem esset iudicium. Quid igitur Forenses tantum Interpretes insectantur quoties ea par est omnium studiorum conditio; ea humanæ mentis, vel imbecillitas, vel arrogantia. Certa enim veritatis cognitio in moralibus non æque,

 ut

ut in mathematicis disciplinis assequi potest. Mathematici enim formas ab omni materia separatas abstrahunt, & disiungunt, ex certis indubiisque principiis gradatim ad certissima adscendunt, & recti, curvique, plani solidique posita natura, proprietates educunt. At vero adsis modo: In moralibus minimae etiam res, Legis rationem, & vim mutare valent quam saepissime; Nam inter fas, & nefas aliquid semper est tali latitudine interiectum, quod modo huic, modo illi parti propinquius accedat. Hinc est ut animus in medio suspensus haereat, & veritatem attingere cupiens postquam ex ipsa re argumenta rectae rationis duxerit, & ad memoriam theoretica artis praecepta revocaverit, cogitur vel invitus Tribunalium, & Doctorum sententias explorare, ut iudicium suum rectae rationi, comunique hominum opinioni cohereat. His vero monumentis tanquam testibus adhibitis mentis opinio confirmatur, & in quadam veluti tranquillitate versatur. Testimonium enim dicimus omne id, quod è qualibet re externa sumitur ad faciendam fidem. Quod vero cum ad huiusmodi testimonia accesserimus inter dissidentes ad invicem sectas incidere oporteat, id ipsum caeteris scientiarum Professoribus contingere fatendum est, si ad memoriam revocare velimus Philosophorum contestationes, unde Stoici, & Academici, & Cinici, Medicorum dogmata inter se diversa, alia namque est Ippocratis secta, alia Asclepiadis dissensio, unde Apollodorei, & Theodorei; itaut commune ingeniorum fatum minus recte solis Pragmaticis vitio vertitur.

Sab. Credo equidem commodam opem poscendam esse ex hisce Consiliis, & Decisionibus, ut scilicet per salebrosam, & asperam Iuris viam molestiam itineris facilius substinere possimus, & tanquam

quam femitę compendium invenire: Sed hi tantum libri pro nomenclatoribus, & indicibus memorię adminiculo adhibendi sunt, ad hoc ut ex recentioribus facilius assequamur antiquos, & per rivulos excurrendo, fontem ipsum celeriter assequamur.

Treb. Ita profecto est; dicam tamen quod sentio: Antiquiores Interpretes Leges Romanorum fervente studio, intima meditatione, & laboriosa exercitatione non tantum libare, sed etiam penitus haurire potuerunt: huic tamen legali scientię (fæculi vitio) Scholasticorum subtilitates, & Gramaticorum barbariem perperam contulerant. Medii temporis Interpretes inter quos emicat *Cuiacius*: legalem, veramque scientiam cum elegantioribus literis, antiquæ historiæ, & grecæ latinæqe linguæ peritia copularunt. Neoterici vero, præsertim vero nostri temporis, in minima Legalis Scientiæ notitia, in maxima vero eruditionis copia nituntur; qua de re plurimi vel ad res iudicandas, vel ad causas in Foro agendas inepti reperiuntur, & dum in abstracta rerum contemplatione oblectantur Pandectas ipsas, una cum libris Pragmaticorum negligunt, & pessundant. Vel si Pandectarum libros excutiant segnes in pervolvendis Forensium libris, Ius consuetudinarium, Legesque patrias fastidiunt: Bellum pertinaci labori, & vigiliis, aliisque præsidiis, quorum maxime indigent (vocatis etiam Classico ad concilium Commilitonibus) acerbissime indicunt.

Sab. Cur igitur oleum, & operam perdere in tot Libris pervolvendis, qui æquitatem pro arbitrio fingunt, qui quod perspicuum, & facile est obscurum, & inextricabile efficiunt, qui regulas suas in obscuris, & perplexis limitationum, sublimitationum, ampliationum, & subampliationum te-

ne-

nebris involvunt; qui fraudolentis verborum ambagibus, & enormi loquacitate aridas, & inanes meditationes enituntur; qui nihil familiarius habent, quam inveteratos eorum errores pro certissimis legibus obtrudere, a quibus in iudicando, vel consulendo recedere nefas esse putant; Et tamen ita superbiunt, & se mutuo laudant, & vicissim nominant, quasi omnem doctrinæ laudem sint assequti. Qua propter in tanta Librorum multitudine vix ac ne vix quidem inveniri potest, quod publice privatimque expediat Urbium, & Populorum regimini, & Studentium utilitati.

Treb. Quisquis perfectam iusti, atque iniusti scientiam attingere cupit, necesse est ei cuncta ipsius scientiæ penetralia investigare; Asperrima, & dumis, spinisque consita loca percurrere; longissimum iter constanti animo suscipere; nec labori, nec tædio, nec vigiliis unquam parcere. Nullus est Auctor, qui Iuris nodos, & Legum enigmata solvat, ex quo aliquid utilitatis expromere nequeas: nulla quæstio, quæ a plurimis agitata Scriptoribus lumen aliquod rectæ rationi non adferat: nulla meditatio ad eruendam veritatem excitata, cui maximum præsidium aliorum hominum studia, & exercitationes (quasi amicorum æs conlatum) non conferant. Revera nec te iuvenem eruditissimum latet, quot, quantique huius ætatis illustres Viri, ab antiquioribus, & obsoletis Scriptoribus argumenta disputationum, sententias, & scribendi materiam surripuerint; itaut si ingenii aliquid producere velint, manus abstinere ab alieno nequaquam possint. Præterea plurima sunt, quæ ab Iuris Romani purissimis fontibus primum in Scholis, deinde vero in Foro passim deducta, & pro regulis Iuris adhibita neque contemni, neque ignorari apprime valent; ne

ne hospites, & peregrini videamur in Patria. Neque consilium captandum esse arbitror, ea Iuris axiomata ignorare, quæ a Bartoli, Baldi, Castrensis, aliorumque Scholis profluunt, & Theoricę nuncupantur, quæ tandiu in Dicasteriis omni ævo plaudente radices egerunt, & vim Legis obtinuerunt.

Sab. Quid ex ea re capiam commodi? Scholasticam subtilitatem semper abhorrui, in qua nec lucidus ordo nitet, nec verborum, aut rerum definitio palam occurrit; per quam quæcumque res implicatur potius quam explicetur. Et tamen in his nugis omnem videri collectam eruditionem cogitas? Animus tantummodo mihi pendet, an forte elegantiam latini sermonis in hisce libris consequar? At vero si Tullianæ eloquentiæ in iis tyrocinium ponam, meis sumptibus sapere cogar, atque inter eruditos viros me neminem sentiam habere socium.

Treb. Nisi me animus fallit, magnum ex omni librorum genere fructum consequi puto; dum grave sententiarum pondus colligo, & ab aliorum cogitationibus aliquid emolumenti mihi cedere sentio; e rebus enim, non ex verbis studiorum lumina proficiscuntur. Quę autem perperam scripta in aliorum libris reperieris, eleganti calamo in tuis dissertationibus excipere, & literis tradere poteris: nihil enim est quod tibi negotium facessat, quominus elegantiam, nitoremque dicendi in tuis scriptis passim effundas. Et quæ ab aliis obscure nimis tradita leguntur a te dilucide, & perspicue prodita intueantur. Mallem equidem potius Bartoli, & sequacium sententias, quam Homeri, aut Euripidis testimonia in Foro proferri. Testium enim huiusmodi, & ævum, & patriam, & institutum, & artem inspicere oportet, ut suo fere loco accomodari, & concinnari testimonium possit.

Sab

SAB. Verum nolim erga te nimis illiberaliter agere. Nam omni prorſus aſſeveratione profiteor, me virtutem, & humanitatem tuam plurimi facere; Fateor enim te honeſtum ſequi, & mentis tuæ conſilia ad veram germanamque doctrinam aſſequendam ſemper intendiſſe. Quod ſi plerique e Forenſibus Iuriſconſultis non ita compoſiti ad laudem ſunt quales eos eſſe decet, id eſt artificum non artis vitio vertendum. Nugari igitur deſinam: & revera rem mihi gratiſſimam facies ſi pro tua in me benevolentia Forenſis Iuriſconſulti omnibus numeris abſoluti imaginem expreſſeris. Hoc unum modo me praſtat honeſti, & virtute præditi hominis potius propoſitum aſſequi, quam tricis detineri, & inutilibus diſputationibus, & nugis tempus conterere.

TREB. Faciam equidem libenter: Iuriſconſultum Forenſem acerrimo primum pollere ingenio neceſſe eſt; legalis enim doctrina abſque naturali mentis acumine vix aſſequi poteſt. Præterea eum ex honeſtiſſimis Parentibus ortum ducere decet, ut pueri ingenium honeſtis moribus aſſuetum honeſtę vitę diſciplinam aggrediatur; *Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem teſta diu*. Adoleſcentem eloquentię ſtudiis ſedulo operam navare, & gracis latiniſque muſis diu litare oportet. Humanarum enim literarum ſtudia plurima præſtant Iuriſprudentię firmiſſima pręſidia. Poſtquam ſermonis elegantiam, & dicendi facundiam ex Poetarum, & Oratorum Libris conſequtus fuerit, internæ cogitationi incumbat, & artem dirigendę mentis, cum artis criticæ diſciplina coniunctam probe recteque addiſcere, & animo excipere diligentiſſime ſtudeat. Elegantia ſermonis, & ars recte cogitandi internas animi noſtri vires dirigunt, & depromunt. Interea his probe cognitis ad contemplationem rerum immaterialium iter eſt ſuſcipien-

dum. Decet igitur geometriam primum, & meta phisicam aliquantulum deguſtare; Phiſicam quoque, & naturalis hiſtoriæ tabulas leviter attingere. Quo curriculo emenſo ad mores hominum cognoſcendos totis viribus ſe ſe conferat. Romana hiſtoria a Regibus uſque ad Iuſtiniani tempora omnino erit Iuriſconſulto cognita; huic neceſſe eſt hiſtoriam medii Ævi coniungere, unamque cum alia copulare. Romana enim ad Pandectarum, & Codicis ſcientiam plurimum confert; Altera vero Statutorum, Legumque municipalium interpretationi lucem, & ſplendorem affert. Hæc ſunt quæ ad rerum humanarum, divinarumque notitiam eximie conſequendam, ſuapte dulcedine animum noſtrum volentem ducunt, nolentem trahunt. Ut vero propius ad iuſti atque iniuſti ſcientiam accedere liceat ad ius naturale, ſeu ad univerſalem Iuriſprudentiam animum convertere oportet: quoniam ſola hæc, & tutiſſima via eſt, quæ ad Iuriſprudentiæ particularis penetralia exploranda perducit. Ex Iuriſprudentię enim univerſalis præceptis, Ethica, Politica, & Iuriſprudentia civilis promanant. Tali prędit us nobili Inſtitutione magnanimus Iuvenis totus Iuriſprudentiæ ſe tradat, eique omnes mentis ingeniique vires conferat, ut ſummum huius ſcientiæ apicem attingere poſſit. Tanta eſt enim ſolicitudinis, & conſtantiæ virtus, ut nihil eis ab arte, nihil a fortuna negari poſſe videamus. Nec nimium exoptanda eſt Encyclopediæ laus, nulli etenim ſummum ſcientiæ gradum in plurimis facultatibus attingere datum eſt. Quod ſi quis dixerit M. Catonem Portiæ familiæ primum, triplici ſcientia perfectiſſime præditum fuiſſe, aliter ſentiat oportet, ſi eum cum ſui temporis, vel paulo inferioris hominibus conferat. Fuit enim M. Cato in Legibus Gallo Aquilio longe inferior,

ferior, in orando M. Tullio longo proximus intervallo, & in re militari C. Cęsari minime comparandus. Nihilo tamen minus elegantiores literæ non sunt penitus reiiciendæ. Verum arbitror homines unam tantum profiteri scientiam posse, in qua revera excellere contendant; cœteras autem scientias minus perfecte, & ad pręsidium tantummodo, & decus primi studii comparare debere, ita tamen ut nihil pręcipuæ scientiæ assiduitatis, & ingenii detrahatur. Omnium si fieri potest studiorum notitiam Iurisconsultos habere decet, Iurisprudentiam tantum profiteri recte debent. Cum iuvenis ad Institutionum, & Pandectarum libros animum appulerit, nihil ei in hac re inutile esse opinor; Tota enim iuris scientia penetranda perspiciendaque, nisi de Iurisconsultorum plebe esse velit. Sane Legis ratio quæ anima iuris est investigari necesse est; hinc expedit origines, et caussas Legum, hinc sectas Iurisconsultorum scire, hinc ex fontibus Iuris naturalis, et gentium, et ex doctrina Gręcorum, et Romanorum fundamenta Legum deducere. Iurisprudentia enim Romana, quæ apud nos Iuris scripti vim consequitur, tota ex his fontibus manavit. Hęc vero Iurisprudentiæ penetralia ad rationis, et veritatis censuram iuxta methodo perpensa, ad usum practicum, ad mores, constitutiones, et statuta locorum, et ad Tribunalium placita convertenda sunt, et Theorica cum Praxi coniunctissime est copulanda; non etenim Iurisprudentia pręcipuam laudem in contemplatione, sed in actione consequitur. Qui vero has scientiæ partes, aut seiungunt, aut non bene coniungunt plurimum a vero aberrant. Qua de re Iurisconsulti pręstantissimi, qui in tradenda disciplina ne Papiniano quidem inferiores videntur, dum Praxim risu excipiunt, et aliquando ma-

maledictis insectantur, multum sibi desunt, vel se scire dissimulant Ius in quo homines versantur non ex solis tantummodo puris Iuris Romani principiis coaluisse, sed ex plurimis partibus esse compactum, quas partes singulas contemnere, vel ignorare, idem est, ac si integram Iurisprudentiam compertam non habere optimum esse duxerimus. Istiusmodi nudi Romanæ historiæ, et eruditionis amatores, qui umbratilem, et sterilem tantum, et abstractam Iurisprudentiam profiteri se iactant, admodum similes esse arbitror habentibus recte signatos nummos, qui tamen in regione in qua versantur usu exciderunt. Igitur ad regulas Bartoli, Baldi, Castrensis, Cumani, aliorumque quas theoricas vocant, et quæ in Foro adhibentur, mentis vires convertantur. Itidem Patriæ Leges diligenter investigentur, una cum cœteris Legibus frequenti populorum usu receptis, a quibus contractus quam plurimi inter nos frequentissimi, Romanis tamen penitus incogniti, vim, et auctoritatem sumunt. Frustra namque nostri sæculi Census, Cambia, Ius maritimum, in Romanis Legibus invenire desideras. Hinc Tribunalium placita, et Prudentum responsa in consilium adduci debent, assiduo, et nunquam intermisso labore, itaut Ius consuetudinarium Italicum summa propemodum familiaritate amplectamur. Modo tamen in hoc studio ad Legum Romanarum præcepta, et dogmata semper oculorum aciem convertamus, rectamque rationem perpetuo tanquam ducem sequamur. Vera igitur Iurisprudentia, absque Legum scientiarumque solida doctrina, et opportuna usus, et praxeos pro diversis gentium moribus applicatione minime consistere, aut perfecta esse potest. Quod arduum studium, si valeant humeri, et non ferre recusent, cum Socraticis virtutibus pru-

dentię, pudoris, et arguti ſilentii perpetuo eſt coniungendum. Hanc igitur ſtudiorum rationem, morumque conſuetudinem forenſes Iuriſconſultos aſſequi oportet: Et ita plurimos videmus in Foro verſari, huiuſmodi laudibus decoratos honeſtiſſimos Viros, et Reipublicæ utiliſſimos, etiamſi fruſtra vulgares, et imperiti homines multa contra eos blaterantes rumpantur invidia.

Sab. Mehercle per grata mihi oratio tua; quę enim fieri non poſſe arbitrabar, plane in Foro obtineri poſſe conſpicio; cum mihi nunc exploratum ſit, ingenium, mores, et ſtudiorum ratio Forenſium Iuriſconſultorum, qui eorum officii partes cum laude tuentur, et égregie ſuo munere perſunguntur. Quod cum ille dixiſſet, diſputationi fine impoſito in villam Trebatii perrexerunt.

DE

DE

PROCURATORIBUS

DIALOGUS SECUNDUS

SABINUS TREBATIUS

Cum iterum condicta die Sabinus ad Trebatium venisset, ambo in solitarium locum, sub tegmine patulæ quercus, vitandi æstus causa secesserunt. Statim vero, mutua comitate alteram de Iurisprudentia familiarem disputationem suscipere statuerunt. Hæc enim est vetus, & Socratica ratio contra alterius opinionem disserere, ut facillime quod veritati magis consonum sit exquiri, & investigari possit. Falsum namque frequenter animis nostris fucum facit, & veritatis speciem sibi affingit, quod nisi unus alteri contradicat perraro detegitur, nec veritas in lucem profertur. Sabinus igitur acerrimi ingenii sui vires vix morari patiens, ita sermonem instituit.

Sab. Cum sæpe alias, tum vel maxime nunc cogito, multum a natura tibi esse tributum, plurimum etiam a studiis liberalibus: Sed nescio quo fato ita animum ad humilem, & pene postremum vitę genus abieceris, ut inter Causidicos, qui Procuratores nuncupantur tuum nomen referre incaute forsan elegeris.

Treb. Num ob id forte culpandus? an mala ars Causidicorum? Ita certe visam scio nonnullis prętertim potentioribus, sed cum rectæ rationi, &

& honeſtę non ſatis congruere hæc maledicta compererim, nullam eis fidem penitus adhiberi puto.

Sab. Adeo te infirmo animo eſſe non ſuſpicor, quod ſciens prudens Cauſidicinæ artem non circumſpicias. Quam enim (pace tua dicam) ſoliditatem reperis in perpetua, & inepta illa formularum, & clauſularum coacervatione, & in tanto cavillationum ambitu, & perplexitate? Quæ probitas in plurimis hiſce artis, hominibus, qui falſas cauſas ad diſcordiam fingunt, ut alienum æs corrodere poſſint?

Treb. Feſtivè quidem magno conatu tenuiſſimas nugas effundis. Et primum puto facile ſuaderi poſſe, plurimos eſſe in omnibus artibus, & ſtudiis frugi, & integros viros, plurimos autem eſſe malos. Nec propterea, cum nuſquam mane egrediar, neque veſpere Domum revertar, in tanta hominum frequentia verſatus, quin bonos, & malos conſpiciam, neque tamen omnes promiſcuę eſſę malos arbitror. Quoſdam enim collaudo ſecundum facta, & virtutes, quoſdam ſecundum vitia, & malefacta, mecum ipſe tacite reprehendo. Nunquid omnes homines mali? Nunquid omnes qui Procuratorum munus exercent, culpandi ſunt? Eadem ratione alii quoque qui in plurimis liberalibus artibus verſantur omnes tanquam perditi ſibilo, & vituperatione proſequendi? Aſt aniles ineptiæ ſunt iſtæ; Nam in omni hominum cætu, & collegio malis admixti ſunt optimi; et ii tantummodo optimi forte ſunt, qui in otio, & deſidia diem totum nihil agendo terunt? Sed quia omnis ratio poſtulat nos ordine dicere; Sciſcitari libet; an artem Cauſidicorum, an ipſos Cauſidicos condemnare præſumas?

Sab.

Sab. Me ne rogas? Artem, & artifices parvi faciendos esse arbitror. Ita Dii me ament.

Treb. Ad artem igitur animum advertamus. Antiquissimus omnium gentium mos fuit, quoties in Ius vocabantur, alios sibi homines ad sui tutelam adsciscere: Ut qua ipsi verborum eloquentia, animi dexteritate, mentis acie carebant, harum rerum, præsidio ab aliis mutuato, vitam, decus, & substantias suas quam facillime tuerentur. Nec hercle lorica, aut gladius firmius munimentum in acie, quam in civitate inter homines comuni vinculo sociatos, Reo & periclitanti, eloquentiæ præsidium simul, & telum, quo propugnare pariter, & incessere, vel in iudicio, vel in Senatu, vel apud Principem possit. Splendidissimi homines ingentium opum, & potentiæ viribus subnixi in summa rerum omnium abundantia collocati, intuentes tamen eloquentia nihil posse, ad iuvenes, etiam, & pauperes eloquentes confugerunt, ut sua, vel amicorum discrimina commendarent. Consule antiquiores maiorum gentium historias, & Oratores perpetua potentia, atque potestate munitos, opem alienis, salutem periclitantibus, invidis vero, & inimicis metum, & terrorem intulisse reperies. Apud nos institutum prodiit a Romulo patrocinium, ex quo veluti fonte patrocinii Forensis rivuli promanarunt. Patriciis tantum datum erat Clientes tueri, & in Iudiciis defendere. Ars igitur nobilissima est, quæ a Patriciorum fide, & auctoritate ad nos profluit & quæ a nemine antiquitus, nonnisi a Patricio viro exerceri poterat.

Sab. Attamen tunc lingua in quęstu non erat: dedecus semper fuit apud omnes gentes iras, & verba alteri locare. Vilissimum est quod pretio venditur.

Treb.

Treb. Hæc vero gratuiti patrocinii elargitio, non ita amplificanda est, ut quædam munera Clientes patronis, vel natalicia, vel strenas, vel xenia non misisse putemus. Quin etiam alimenta ipsa a Clientibus Patrono egeno præstabantur. Quis enim virtutem amplectitur præmia si tollas? Quod si ad mores nostros animum convertamus indignum plane esset, dum quamplures in deliciis, et divitiarum abundantia torpescunt, studiosis Viris imponere, quod gratis pro alieno otio, et tranquillitate labores immanes perferrent; noctes insomnes durarent; anxia animi meditatione in perscrutandis difficillimis quæstionibus agitarentur; et pro divitibus algescant, et sudent. Indecens sane est, et iniquum talia animo concipere; non vero illicitum, aut inhonestum Doctores præmium, et beneficium laboris a Clientibus accipere. Præcipue vero ubi honorariis certus est modus a Legibus constitutus, et ubi non acerbe præmium deposcitur, sed ab ultro dantibus verecunde accipitur, et ab imprudenter negantibus non extorquetur. Probi enim, et boni Viri officium est pudorem suum non abiicere in iudicialibus exactionibus, et beneficium potius in mercedis locum substituere. Ius quoque veteris *Legis Cinciæ abrogatæ*, etiam nunc servamus in patrociniis pupillorum, viduarum, et miserabilium personarum, quibus res angusta domi est. Dignitatem nostram sartam, tectamque servamus, quoties sponte rogamur, ut bona, familias, et decus hominum patrocinio nostro tueamur, oblatis nobis, et propositis ultro muneribus, et præmiis. Etenim non alios importunis precibus excitamus, sed ab aliis quotidie enixis verbis rogamur, ut fidem, et tutelam rebus, et personis eorum in Iudicio egregie largiamur.

Sab.

SAB. Ut vero animi mei sensus aperiam, si in Curialibus hæc omnia sunt toleranda, in Advocatis fortasse patienter ferenda sunt; ipsorum enim munus forte laudabile, et decorum est. Procuratoris tamen officium utpote vilissimum, et mercenarium, nulla excusatione tegi, vel adumbrari potest.

TREB. Causarum Patroni in Curiis illustribus ab Advocatis minime distant. Omnes enim dum ad Tribunal ad dicendum, causamque orandam vocantur, Advocati dicuntur. Possunt enim hac generali appellatione, et Procuratores contineri, et e contra Procuratorum nomine Advocati; quia utrique pro Causæ patrocinio in Iudicium advocantur, utrique curant, et procurationem gerunt Clientis, et quædam sunt omnino utrisque communia. Nuncupantur in rescriptis Cæsarum sæpe Advocati, et Causidici, et Causarum Patroni. Et promiscue usurpatum ibidem legitur Causidicinam profiteri, et Advocatione fungi. Utrumque munus obeunt, et obire possunt causarum Patroni, et in multis Curiis promiscuum, et indistinctum est horum officium. Florentiæ dum Republica florebat omnes Legum Doctores de iure respondebant, causas orabant, et Procuratoris, et Advocati munus exercebant: Advocati enim nomen non nisi sub Principatu reperies. Quis vero nescit in primariis Italiæ Curiis Procuratores graves viros, et doctos esse, quorum munus, non vere procuratorum, seu cognitorum, sed vere Oratorum, et Patronorum est. Nec te ita error abripiat, ut credas Procuratores ad negocia, vel etiam ad lites, qui veluti administri, et apparitores, seu executores Advocatorum, et vicem personæ, et domicilii absente Cliente substinent eosdem esse ac causarum patronos, qui sua auctoritate, consilio, et opera Litigantem in Iudicio pro-

tegunt, iura allegant, ingenium exercent, et summa mentis acie causas moderantur qui, tanquam navicularii gubernandi peritissimi, navim in mediis fluctibus dirigunt, ventorum, et tempestatis vim cohibent, quique omni periculo defuncti portum attingere valent. Litis dominium, et iudicium ipsum Procurator tantummodo suscipit, et in eo omnes insinuationes, omniaque acta loco domini exequuntur; ipsi in se perorandæ Causę onus substinent, et quoties id Causa desiderat, Advocatum, nullo cogente iure, sponte sibi adiungi curant.

Sab. Nihilominus a plurimis fide dignis hominibus sępius audivi, Florentię Procuratoribus nefas esse iura allegare, cum Lege cautum sit ne audeant nisi purum factum Iudicibus exponere.

Treb. Lege cautum est ne Procuratores Iura producant. Contra vero Legum Doctoribus privilegium datum est iuris sententias exponere, de iure respondere, & iudicare. Necesse igitur est ne enormis inducatur antinomia ita rem ad concordiam redigere. Nimirum quod Lex loquatur simpliciter de Procuratoribus, qui in Iuris studio nullatenus versati, doctoratus lauream non sunt consequti; sed tantum de Cognitoribus, & Intervenientibus, quorum plurimos esse constat in Curia, quibus legitime datum non est Iuris nodos, & Legum ænigmata solvere, nec iura allegare. Cœterum omnes Iurisperiti in Pisana Universitate Doctores Legum creati, Procuratoriam exercentes etiam de iure respondere valent, et iura allegare. Nec Statuti verba Procuratores Legum Doctores afficiunt, ni velimus unum & idem, per apertam contradictionem ab eodem Legislatore liberaliter concessum, & simul ademptum. Audi verba Privilegii „ *Ut ille nimirum ubique gentium, utriusque Iuris sententias exponere, inter-*

terpretari, consilia edere, docere, respondere, ac iudicare possit, cæterosque actus omnes, tum Pisis, tum ubique exercere, qui a Doctoribus aliis in Academia Pisana creatis, probatisque exercentur „ Et merito causarum Patronos in Iuris scientia apprime versatos esse oportet, dum nihil ineptius, nihil turpius causas orantibus accidere potest, quam Ius ipsum quod profiteantur ignorare. Peculiare officium Patronorum est actiones in Iudicio proponere, causam probationibus opportunis instruere, Leges a quibus actiones dimanant scire, & allegare. Parum revera esset formulas nosse, si ad iuris fundamenta animum non converterent, eisque præsto non essent Leges omnes, quæ cum facto conveniunt, vel discrepant. Cuius scientiæ necessitas adeo obvia esse debet, quantum rei tum publicæ, tum privatæ expedit, nec calumniose, nec temere, nec inutiliter causas agi, & iudicia exerceri. Si igitur Doctoribus legitime datum est Iura allegare, si plurimum expedit Legum peritos Procuratorum munus exercere, necessario consequitur quod Lex prohibens Procuratoribus simpliciter Iura allegare, Procuratores Legum Doctores nullatenus complectatur, sed tantum ad Cognitores, & Intervenientes Notarios, & Apparitores Doctoratus privilegio minime suffultos verba dirigere. Et ita revera ex consuetudine quotidie in Foro servatur. Quod si Iuris studium Procuratores negligerent, & Iurisprudentiæ essent ignari multo peiora eis affingeres vitia, eosque illico pro stolidis, & ignaris traduceres.

SAB. Nihil tam familiare, & frequens est, quam Doctores Iuris ignaros videre; qui Iudiciorum rationem reddere non valent, qui procrastinatas Lites, veritatemque subdole occultatam sub ignorantiæ pallio amplectuntur, & fovent.

TREB. Sophisma istud in scholis *fallacia accidentalis*, dicitur, quoties ex eo quod verum est tantum per accidens conclusio absoluta simplex, & sine ulla restrictione deducitur. Hinc tot adversus Medicos, Theologos, & Iurisperitos clamores. Hinc eloquentiæ omnia mala adscribuntur, quæ a malo illius usu proveniunt: Cœterum Iustitiæ antistites oportet esse non solum moribus graves, incorruptos, severos, sed etiam literis ac doctrina ornatos, & legalis scientiæ valde gnaros, & peritos. Quorum plurimos esse in omnibus Curiis tam certum est quam quod certissimum. Quod si aliqui leviter eruditi in Iuris scientia parum processerunt, hoc est artificis, non artis vitium; Ars enim cum ad evertendam hominum malitiam instituta sit, & omnes animi vires ad sapientiæ studium conferri requirat, merito inter optimas artes numerari debet. Sed quæ sunt bonæ quæ malæ artes inter homines in Civitate constitutos, & comuni societatis vinculo adstrictos? Omnes artes, vel scientiæ si verum amamus unanimiter societati prosunt, quoties vitæ præsidio esse possunt, vel pro tuendis rebus, & facultatibus, vel etiam pro comparandis blanditiis, & oblectamentis, vel tandem pro explendis desideriis, vel si mavis deliciis, quibus quotidie mens hominum diversimode torquetur. Verum enim vero pro certo habendum est nullam artem, vel bonam, vel malam positive autumandam, nisi relative alicui bene, vel male conveniat; Et propterea valde a vero aberrant, & forte quamplurimis sthomacum movent omnes ii qui bonorum, & consequenter curarum vacui Procuratorum officium male traducunt, & ore aspero carpunt, perinde ac si Iurisprudentiæ exercitationes,

&

& studia, necromantiæ, & chiromantiæ aliarumque inanium scientiarum studiis proxime accederent, eamdemque faciem exhiberent. Quod si multis opibus, & facultatibus præditi copiosa illis res esset, unde cum aliquo de rebus suis litem haberent, eosque ab avitis bonis deiectos se fore metuerent, illico Procuratorem qui pro eis in Iudicio certaret investigarent, eumque rogarent, ut tamquam omni liberali doctrina peritissimum, & omni virtutum genere instructum, Patrocinium Causæ libenter susciperet. Nec vitio illi verterent plurimos habere Collegas qui vix literas attigerint, & Iurisprudentiam vix a limine salutaverint. Nec doctum tantummodo, sed & honestum, bona cum nominis fama seligerent, quod plurimum confert ad Causæ victoriam. Unde consequitur quod eadem illa ars, seu Iuris scientia, quę alicui, bonorum, aut molestiarum vacuo odio est, alteri cui prodesse, vel usui esse potest, tam mirifice arrideat, ut eam ad insaniam usque concupiscat. Nec cuiquam honesto, & moderato viro Ius est, se centrum totius humani generis ita constituere, ut quæ quidem ipse opinatur & sentit, cœteri quoque sentire, & arbitrari quasi obtorto collo cogantur. Cuique enim liberum est, suam metiri utilitatem, ut rei natura fert, vel temporis ratio postulat; melius enim, & præstabilius est controversiam habenti, litem agere, & in Iudicio contendere, quam eam singulari certamine, & armis dirimere.

SAB. Utinam vero Procuratores se in recta, & honesta vivendi ratione exercerent; profecto tot in Foro, fraudes, & doli quotidie non modo impune, sed quasi triumpho ducti ob oculos nostros non versarentur.

TREB.

TREB. Tantum ne est otii quibusdam, aliena ut curent, eaque quæ ad eos nihil attinent? Adversarii fere omnes qui graviter, & acerbe Procuratorum officium ferunt, quoties, pro Cliente in Iudicio summa vi contendunt, odio flagrantes, & ira plurima Procuratoribus contrariis per calumniam crimina adscribunt, eisque obtrectantur, eorumque famam maledictis proscindunt. Hæ autem contumeliosæ vellicationes, quæ iniustæ ultionis loco inferuntur, nil veritatis habere possunt. Quis enim irato, & inimico fidem habebit; quis ab æstuante in vindictam animo veritatem deposcit, quis ita erit rationis expers, ut turbulentæ, mentis commotioni plausum impertiatur? Attamen data fides, & honesta atque impavida Clientis defensio talibus afficitur contumeliis. Verum prudentis, & sagacis animi est, tantam violentiam adhibentibus, minime imparem esse, & virtutis clipeo, se ipsum, & causam pretegere. Hic Murus *aeneus esto, nil conscire sibi, nulla pallescere culpa*. Ab invidis quoque quamplurimæ vociferationes promanant. Multos enim in invidiam rapit Curiales conspicere, ut sæpe dignitate floreant, mentis acumine polleant, & honestissime absque ulla rei familiaris angustia vitam ducant: Veruntamen melius est invidiam, quam misericordiam commovere. Si igitur calumnias, & mendacia inimicorum, & invidorum sensim detrahimus, vix nobis perspecta erit tam diffusa, et amplificata fraudis, et doli in Foro suspicio. Quamquam plurimæ fraudes, quæ sæpe numero Procuratoribus imponuntur, sunt revera Clientum suorum calliditates, et artificiosæ versutiæ, qui aliquoties aliud in mente clausum, aliud promptum in lingua habent. Hi sunt qui sæpissime veritatem tenebris involvunt, et sinceræ virtutis

tutis simulatione turpissima vitia tegunt; fidem iamdiu datam abnegant, propria dicta, et facta infitiantur, singrapham ipsam suamet manu exaratam audacissime abnuunt; et si eos ad iusiurandum adigas, sacramentum falsum aperta fronte dicere non pertimescunt. Hi sunt, qui libros rationum tamquam deperditos edere recusant, indebitum pro debito iudicialiter postulant, qui longas moras, et cavillationes ad retardandam solutionem interponunt; et tandem qui ad eos Curiales certatim, et flagrantissime currunt, quorum nomen in Civitate suspectum est, tanquam fraudis, et doli maculis inquinatum, et quorum aestimatio iamdiu dedecoris labem subiit; ut pravae eorum cupiditates, et inexplebilis eorum malitia non concedat in Ius, et imperium honestae rationis, et legis. Nec verecundos, et modestos, sed audacissimos, et procaces, non doctos, et eruditos, sed subdolos, et versutos, in tota Curia exquisite scrutantur, ambiunt, perquirunt; eosque ut adversariis suis exitium struant urgent, et impellunt. Mehercle si omnes homines in recta, et honesta vivendi ratione continerentur vitia exularent, virtutes minori splendore micarent. Verum hoc est humanae conditionis inevitabile fatum, ut bonis admixti sint mali, vitia, et virtutes promiscue germen educant, ut pharmaca, et venena in eadem humo gignantur, crescant, et adolescant. Attamen rectae rationi non congruit omnia herbarum genera abhorrere, ex quo terra spinis, et dumis obsita magna ex parte conspicitur, dum frumenta, poma, et saluti dicatas herbas huc illuc mirifice progerminat. Minime etiam consentaneum esset omnia animalia odio habere, et maledictis prosequi, quia serpentes, viperae, et genus omne ferarum hominibus iacturam, et detrimenta affe-

TREB. Tantùm ne est otiî quibusdam, aliena ut curent, eaque quæ ad eos nihil attinent? Adversarii fere omnes qui graviter, & acerbe Procuratorum officium ferunt, quoties, pro Cliente in Iudicio summa vi contendunt, odio fagrantes, & ira plurima Procuratoribus contrariis per calumniam crimina adscribunt, eisque obtrectantur, eorumque famam maledictis proscindunt. Hæ autem contumeliosæ vellicationes, quæ iniustæ ultionis loco inferuntur, nil veritatis habere possunt. Quis enim irato, & inimico fidem habebit; quis ab æstuante in vindictam animo veritatem deposcit, quis ita erit rationis expers, ut turbulentæ, mentis commotioni plausum impertiatur? Attamen data fides, & honesta atque impavida Clientis defensio talibus afficitur contumeliis. Verum prudentis, & sagacis animi est, tantam violentiam adhibentibus, minime imparem esse, & virtutis clipeo; se ipsum, & causam pretegere. Hic Murus *aneus esto, nil conscire sibi, nulla pallescere culpa*. Ab invidis quoque quamplurimæ vociferationes promanant. Multos enim in invidiam rapit Curiales conspicere, ut sæpe dignitate floreant, mentis acumine polleant, & honestissime absque ulla rei familiaris angustia vitam ducant: Veruntamen melius est invidiam, quam misericordiam commovere. Si igitur calumnias, & mendacia inimicorum, & invidorum sensim detrahimus, vix nobis perspecta erit tam diffusa, et amplificata fraudis, et doli in Foro suspicio. Quamquam plurimæ fraudes, quæ sæpe numero Procuratoribus imponuntur, sunt revera Clientum suorum calliditates, et artificiosæ versutiæ, qui aliquoties aliud in mente clausum, aliud promptum in lingua habent. Hi sunt qui sæpissime veritatem tenebris involvunt, et sinceræ virtutis

utis simulatione turpissima vitia tegunt; fidem iamlia datam abnegant, propria dicta, et facta infitiantur, singrapham ipsam suamet manu exaratam audacissime abnuunt; et si eos ad iusiurandum adigas, sacramentum falsum aperta fronte dicere non pertimescunt. Hi sunt, qui libros rationum tamquam deperditos edere recusant, indebitum pro debito iudicialiter postulant, qui longas moras, et cavillationes ad retardandam solutionem interponunt; et tandem qui ad eos Curiales certatim, et flagrantissime currunt, quorum nomen in Civitate suspectum est, tanquam fraudis, et doli maculis inquinatum, et quorum æstimatio iamdiu dedecoris labem subiit; ut pravæ eorum capiditates, et inexplebilis eorum malitia non concedat in Ius, et imperium honestæ rationis, et legis. Nec verecundos, et modestos, sed audacissimos, et procaces, non doctos, et eruditos, sed subdolos, et versutos, in tota Curia exquisite scrutantur, ambiunt, perquirunt; eosque ut adversariis suis exitium struant urgent, et impellunt. Mehercle si omnes homines in recta, et honesta vivendi ratione continerentur vitia exularent, virtutes minori splendore micarent. Verum hoc est humanæ conditionis inevitabile fatum, ut bonis admixti sint mali, vitia, et virtutes promiscue germen educant, ut pharmaca, et venena in eadem humo gignantur, crescant, et adolescant. Attamen rectæ rationi non congruit omnia herbarum genera abhorrere, ex quo terra spinis, et dumis obsita magna ex parte conspicitur, dum frumenta, poma, et saluti dicatas herbas huc illuc mirifice progerminat. Minime etiam consentaneum esset omnia animalia odio habere, et maledictis prosequi, quia serpentes, viperæ, et genus omne ferarum hominibus iacturam, et detrimenta affe-

licet non foveantur, reverenter tamen habentur, & tacita quadam admiratione coluntur. Quis præterea bona ſua, honorem, vitamque talibus conſideret hominibus, qui nullam fidem, nullam in rebus agendis ingenuitatem in animo haberent. Nemo eſt qui rei ſuæ familiaris præſidium, & familiæ ſuæ decus, homini cuipiam non ingenuæ mentis, imo vero fraudis, & inſidiarum artifici oſcitanter committeret. Hinc neceſſario conſequitur Procuratores omnino teneri ſi quid eſſe velint, civilis prudentiæ ſtudium quam diligenter colere, politioris vitæ rationem conſectari, & ingenui candoris, fidei, probitatis, prudentiæ ſpecimina civibus ſuis exhibere, & non dubia argumenta proferre. Quarum virtutum frequenter periculo facto, negociorum affluentia, nominis celebritas, patriciorum intima fiducia, omnium civium certatim aſſidua conſalutatio promanant. Hiſce quoque hominibus ſecreta Domus panduntur, horum conſilio potentiores in rebus arduis utuntur, oracula a Mercatoribus primi nominis explorantur: Hi ſunt qui de ſua ſententia interrogantur pro filia nubenda, pro agro, vel domo comparanda, pro pecuniis ad honeſtum lucrum inveſtiendis, pro dirigenda rerum domeſticarum ratione, pro diſſidiis familiaribus componendis; Hi tandem ſunt qui in conſilium ab omnibus potentioribus, nobilioribuſque civibus adhibentur, pro contractibus efformandis, et teſtamentariis tabulis componendis, in quibus omnis ſocietatis vis, fides, quies, et utilitas collocata eſt inter homines in civitate commorantes. Omnis imaginaria opinio erroris, et falſitatis facile arguitur quoties factum ipſum experientia docente quotidie in contrarium aperte loquitur. Si enim eorum fidei, et ſpectatæ prudentiæ cuncta Civitas

inter omnes artes reperies, nec quæ tantum publicis, privatisque rebus opituletur.

Sab. Non inficior quamplurimos graves, & sapientes Cives ad eorum patrocinium enixis precibus se convertere, & certatim confugere, eorum operam poscere, in eorum, quæ saltem ipsis videtur, honestate, & doctrina præsidium vitæ, famæ, & bonorum statuere, ipsos largissimis præmiis afficere, summis laudibus extollere, honoribus decorare, & eorum voluntariæ Iurisdictioni se, fortunasque suas sponte, & libentissime subiicere. Verum enim vero quamplurimi quoque sunt qui non immerito eorum mores detestantur, scientiam tanquam ridiculam pro nihilo faciunt, avaritiam alienis semper pecuniis inhiantem odio prosequuntur, mentis tandem barbariem sæpissime despiciunt, & aspernantur.

Treb. Iuris scientia feliciter inter omnes splendore fulgeret, & Procuratorum officium maxime in quodam civium omnium plausu, & non modica utilitate prodiret, si Forensem censuram alicui cordi esset suscipere, & qui male, & forsan improbe arte abutuntur ad bonam frugem regredi cogerentur. Dicam itaque libere quod sentio, & vobis omnibus honestatis, & elegantiæ magistris, qui quotidie in trivio morum Præfecturam exercetis, delineamenta huius censuræ in medium proferam, ut si vobis aliquando liceat Procuratores ad veterem disciplinam, & severitatem revocare, felix faustumque reipublicæ esse possit. Primo igitur innumerabilis hominum multitudo, quæ ad huiusmodi cœtum frequenti undique concursu, absque ullo delectu, aut discrimine turmatim quotidie confluit, artem ipsam deprimit, & viliorem reddit. Plurimi enim ex infima plebe adscribuntur, alii, vel nimium

mium ſtupidi, vel nimium ſagaces recipiuntur, quidam vero ab altiſſimis montium rupibus, & ex agreſti vita deprompti, quidam exteri, & peregrini; itaut nullum ſit Collegium tanta hominum frequentia celebratum. Præſtat igitur certum numerum præfinire, nec quemquam in alterius locum ſufficere niſi liquido conſtet, quod tyrocinii ſui apud probatum Virum periculum fecerit, & eruditionis, & honeſtatis ſuæ non ambigua argumenta produxerit; hiſce vero rebus æqua lance ponderatis ſemper eligi debet qui magis idoneus inter plures iudicabitur. Plurimum enim intereſt Republicæ, ne Cives per imprudentiam decipiantur, ſi forte rerum ſuarum patrocinium a cauſidicis implorare neceſſe habeant. Præterea ut omnis exularet avaritiæ ſuſpicio, apud Iudices, qui in cauſa ius dicunt omnis poteſtas ſita eſſe deberet honorarium Procuratorum in fine litis æſtimandi, & inſpecto eorum ingenio, diligentia, & doctrina impenſa in defenſione cauſæ pecuniæ ſummam illis debitam addicere; Ita vero ad rectam iuſtitiæ normam æſtimatione facta, nulla amplius via, vel fraudibus, vel calumniis aperiretur, ſervato ſemper Legis Cinciæ rigore, in cauſis miſerabilium perſonarum. Sane quoque nec Procuratores ita deſpicere, & pro nihilo habere ab iis, qui Rempublicam moderantur opportunum arbitror; imo potius laudibus cumulandos eſſe, ut gloriæ ſtimulis incitati munus cum dignitate exerceant, & prudentem honeſtamque vitæ rationem ſequantur. Quod ſi officium hoc adſpernari, & pro viliſſimo haberi volueris, qua nam ratione homines probitate, & doctrina præditi huic arti manum admovere cogitabant; & quæ ſpes erit, ut ii qui mentem ad eam exercendam advertant, avaritia perciti non inſaniant, quoties cum maxima ſui decoris iactura

tanti

tanti vendere eorum patrocinium coguntur? Pessima igitur res est eorum honori insidias struere, & eorum officio turpitudinem infligere; Honos enim, ut ait Cicero, alit artes, omnesque gloria incenduntur ad studia, iacentque ea semper quæ apud quosque improbantur. Quapropter laude dignos ad maiores dignitatis gradus promovere curarem, dummodo ingenii cultura, & disciplinarum studiis satis abunde se exhiberent ornatos. Et si nec irrationabile, nec inopportunum foret sperare certo quodam gradu ad maiora provehi, si ex uno cœtu ad alium certa esset dignioribus via, quisnam omnibus animi viribus aliis præire honesta, & Reipublicæ utilissima concertatione non contenderet? Quis sui spe præmii laborem fugeret? Quis non omnibus consociis disciplinis ornari curaret? Omnes namque disciplinæ, quæ in liberalium artium palæstris exercentur arctissimo quodam societatis vinculo coniunctæ sunt, & altera alterius opem poscit res, & coniurat amice. Quique ad has artes capessendas animum appulerunt novem Musas colere debent, omnes inter se sorores, & mutuo manuum nexu communem ducentes choræam. Ita fiet, ut Iurisconsulti, qui rerum humanarum, divinarumque notitiam, iusti, atque iniusti scientiam profitentur, præmiis undique allecti, per omnia scientiarum studia strenue decurrant, sordidamque barbariem abiiciant, & mandata sibi publici muneris officia valeant implere. Qua de re non deerunt complures qui humanioribus literis large pectus inundabunt, & lumina naturalis Iurisprudentiæ, Ethices, atque Politices in animo excipere concupiscent, ut omnibus Iurisprudentiæ penetralibus penitus perlustratis publicæ dignitatis fastigium aliquando merito attingere possint. Frustra vero omnium ornamentorum

rum laus in Causarum patronis, desideratur, nisi tandiu optata censura Forensis in Foro adveniat, quæ iis quoque qui Iuri dicundo præsunt certum ordinem, certumve temporis spatium ad Sententiam proferendam, finemque Liti imponendum indicat, & effrænatum Iudicum, & Patronorum arbitrium sus deque omnia miscendi radicitus tollat, vel saltem arctissime cohibeat. Excitandi sunt igitur Proceres Supremi, ut ingenia sæculi sui foveant, ut probos, & vera non fucata doctrina præditos Iudices, haud oscitanter, & absque delectu adhibeant, & in lucem proferant, qui unice possunt Iustitiæ administrationem in frigus, & contemptum relapsam in integrum restituere. Ordo vero Iudiciorum iam pene labefactatus providarum Legum auxilio ad iustitiæ normam, & maiorum exemplum revocetur, & tunc æquali gradu, studio, & ardore, sane procedet in decus, dignitatem, & maximum incrementum Patronorum industria, & rei bene gerendæ exemplum: In hisce autem probitate, & vera doctrina præditis Iudicibus omnis potestas sita esse deberet Curiam moderandi, & Causidicos qui a recta virtutis, & honestatis semita aberrant pœnis adhibitis, ad bonam frugem revocandi.

Sab. Profecto maxime optandum foret Iustitiæ muniri viam, & omnes industriæ nervos ab iis qui Rempublicam moderantur intendi ad bene de publica utilitate merendum. Tunc enim Causidici doctiores, & probiores prodirent, nec eos ita serio obiurgarent homines virtute præditi, quamquam vel indocti, vel invidiæ æstro periti eos male semper traducant. Nec inficior plurimos ex eis in omnibus Curiis adesse quibus natura de meliore luto pectus finxit, & quorum

ani-

animus vero culta, & liberalibus doctrinis, enutritur; Sed tanta eſt in toto cætu, & collegio ingenii barbaries, & morum colluvies, quod paullatim, ſi tandiu negligatur, artem ipſam, veluti ferrum rubigine, ſic horrido ſquallore, & ſitu obduci neceſſe ſit.

Treb. Privatarum rerum cura mentem noſtram exerceat, publicæ rei aliorum ingenium torqueat. Omnia quæ corrigere nequimus facili animo ferenda ſunt; ſatius eſt enim deridere vitam, quam deplorare, melius quoque eſt publicos mores, & humana vitia placide accipere, quam alienis malis inutiliter torqueri. Quotidie nobis univerſa contemplantibus occurrit, tot felicium ſcelerum turba, quam ſit rara morum ſimplicitas, & innocentia, quam everſa fides, & quantum ambitio per turpitudinem ſplendeat. Sapientis tamen eſt officium, virtutem ſinu ſuo fovere, & in ea omne vitæ ſuæ præſidium, & dulce decus reponere; imperitorum vero, & malorum hominum vitia tanquam ridicula parvi pendere. Nam alienis malis torqueri, ſtultorum ærumna eſt. Hæc cum dicta eſſent, amicum in modum diſputationi finem impoſuerunt.

DIS-

DISSERTATIONES QUATUOR

SUPER VARIIS ARGUMENTIS

AD IURISPRUDENTIAM PERTINENTIBUS



DISSERTATIO I.

Ad L. Librorum 2. ff. de legat. & fideicomm. 3.

CUM OMNE IUS, teste Fabio, & in verborum interpraetatione, & in aequi pravique discrimine positum sit; arctissimum adeo studii Iuridici cum ingenuis artibus vinculum est, & affinitas, ut quod homines in politioribus literis minime versati Iuriscivilis expositionem aggrediantur, summum ab eruditis piaculum pronunciatum est, nullo unquam nec sulphure, nec taeda expiandum. Ercifcundi tamen via tentanda est inter miserabiles vitio temporum antiquorum glossatorum lacunas, & segetem circumforaneae vanitatis eruditorum, nec cum Laurentio Valla, Budaeo, & Dempstero contra teterrimam illius saeculi cognitionem, diras deprecando aquam perdere, perinde ac si legalis scientia in sola philologia tantummodo versetur. Sed cum saepissime Iurisconsulti anxium sibi torqueant ingenium circa verborum proprietatem, eadem cura nostra urgere pectora debet, uberes fructus percipiendo, a stu-

diis, & laboribus eruditorum hominum huius, & antecedentis sæculi, qui tantam Iurisprudentiæ lucem contulerunt. Talis fuit olim Antistius Labeo, ut cœteros silentio prætercam, de quo loquitur, & Gellius, *latinarum vocum origines, rationesque percalluit, eaque præcipue scientia ad enodandos plerosque Iuris laqueos utebatur* „ Quapropter cum hæc Iuris non ultima pars maxime tutari necesse sit, dum in glossa *L. Librorum* 5c. *ff. de legat.* 3. priscæ antiquitatis notitiam obrutam esse animadverti, operæ pretium esse arbitror aliquam ei lucem afferre, non ut glossatoris nomini officere velim, sed ut Ulpiani mens sarcta tectaque servetur, & Romanæ historiæ non imponatur. *Ulpianus lib.* 24 *ad Sabinum* ait „ Librorum appellatione contineri „ omnia volumina, sive in charta, sive in membranis sint, sive in qualibet alia materia „

Accursius in glossis chartam intelligendam esse docet de *bombice*. Satis tamen notum est apud eruditos chartam bombycinam ex Oriente ad nos delatam sæculo X., prout probatum habetur in Paleographia *Monfouconii lib.* 2. *cap.* 12. Vocatur bombycina ex verbo βομβυξ, quod antiquitus sericum significabat; sed sequiori ævo & barbaro gossipium denotabat. *Du Change glossar. latin. barbaro verbo Bombax*. Ad instar autem orientalis chartæ ex gossipio, postmodum ab Italis inventa est charta lino, & cannabe, ex linteaminibus attritis compacta, ut egregie animadvertit *Maffeius in histor. diplomat. lib.* 2. *cap.* 10. Hinc liquet Ulpianum de charta bombicina nullatenus intelligere potuisse, & propterea Accursius allucinatur.

De qua autem charta intellexerit Ulpianus, satis constat ex eadem ipsa Lege ubi in §. *Chartarum* papyraceam chartam indigitat, de qua tantum

IC.

IC. loqui poterat „ ibi „ Chartis legatis, neque „ papyrum ad chartas paratum, neque chartæ nondum perfectæ continebuntur „

Chartarum usu maxime vita hominum constat, & memoria, ut ait *Plinius lib.* 13. qua de re, cum semper adversus temporis iniurias mens hominum propugnaculo aliquo se vallare cogitaverit, literæ primo in textilibus foliis palmæ, & malvarum exaratæ sunt, ut apud Sibillam Virgilii, *Foliis tantum ne carmina manda*. Postea in dedolatis fibris arborum, & in omentis elephantinis notæ impressæ fuerunt. Telis, & Linteis quoque Parthi literas intexere, vel acu, vel alia quapiam ratione id facerent, consueverunt. Publica tandem monumenta plumbeis voluminibus, privata schedis, seu tabulis confici cœpta, & pugillaribus, quorum usus etiam apud Homerum *lib.* 6. ubi inducitur scribens in tabella plicata. M. Varro refert chartas ex quadam Alexandri Magni victoriam innotuisse. Cæterum charta nomen genericum est: postquam enim, ut opinatur *Scaliger in animadversionibus ad Guillandinum, quem sequitur Vossius Ethimolog. verb. charta* cœptum est in frontibus epistolarum χαίρειν apponi ex eo natum epistolari biblo nomen χάρτης.

Supponit IC. volumina confici sive in membrana, sive in charta, sive in qualibet alia materia. Chartæ enim conficiebantur, vel ex Papyro, & Tilio, seu ex Thilaris Papyri, vel ex Filaminibus Tilii. Charta Papyracea ab Egiptiis, qui palmam cæteris in hoc opere præripuerunt inventa, & propagata est. *Conficitur biblo memphitis charta papyro. Lucanus lib.* 4. Hi enim extendebant Thylaras Papyri in tabula Nilotico umore perfusa, deinde alias transversas schedas, seu filamenta supersternebant in modum cratis, quibus prœlo gravatis solas tandem pla-

plagulas illas glutino adlinitas ficcabant. Papyrorum plantæ in Egiptii paludibus multæ, & frequentes. Unaquæque arbor triangulis lateribus in Tyrsi modum cacumen includit. Videatur Achilles Tatius de usu, & natura huius arboris, præterea quæ Theophrastus, & Cassiodorus scriptum reliquerunt.

Verum enim vero non tantum ex internis papyri tunicis chartæ conficiebantur, sed quemadmodum Ulpianus prodit, in Phylaris, seu Tiliæ corticibus verborum notæ committebantur. Plinius *lib.* 16. *cap.* 15. tenuissimam tunicam esse ait Phylaram Tiliæ, quæ textilibus coronis adsuebatur. Ex hisce igitur tiliarum tunicis, eadem ratione servata, qua in contexendis Papyrorum filamentis usi viguisse superius innuimus chartæ componebantur. Raro tamen Tiliacearum chartarum mentio in antiquis evolvendis libris offenditur; prout Angelus Politianus Miscellanearum *cap.* 72. respiciens ad hunc Ulpiani locum tradidit. Tandem de variis generibus, varioque chartarum usu importuna exornatio hic videri posset, si longius sermo trahatur; cum præsertim extent Commentaria in tria Plinii capita de Papyro a Guillandino exarata, cum egregiis Scaligeri animadversionibus.

Sed cum Ulpianus de codicibus membraneis, aut aliquo corio distentis mentionem faciat, animadvertendum est *Membranam*, seu ut ab aliis appellatur charta hædina, corium fuisse, quod ex animalium tergore pilis derasis constabat: unde Lucretius in IV. *Membranas mittunt vituli de corpore summo*. Ad hoc confirmandum supervacaneum est veterum bibliothecas excutere, cum IC. noster membranas ex corio animalium paratas esse aperte doceat. Hæ primum *Pergamenarum* nomen sortitæ sunt, ex eo quod traditum sit quod

Per-

Pergami regnante Eumene inventæ fuerint. In his lineæ literarum ducebantur calamo arundineo in sepiæ limpha infuso. Quod pulcherrime explicat Persius cum ait.

Tum queritur crassus calamo quod pendeat humor,
Nigra quod infusa vanescat sepia limpha;
Dilutas queritur geminet cum fistula guttas.

Ex una tantum parte ovilla coria prius abradi cæpta, dein, & in tergo perpolita sunt; eæque membranæ opistographæ vocabantur ut habetur *in L. 4. ff. de bon. poss. sec. tab.* quam rem vir longe eruditissimus *Alexand. ab Alexandro lib. 2. genial. dier.* enucleavit. De his forte chartis loquitur *Iuvenalis satyr. prim.*

. . . . iam margine libri,
Scriptus, & in tergo, nec dum finitus Orestes.

Nec reticendum *deleticas* membranas apud antiquos fuisse, e quibus literæ expungebantur: quarum fit mentio in *d. L.* 4. easque perbelle sic exprimit *Martial.*

Esse putas ceras, quamvis membrana vocetur
Delebis quoties scripta novare voles.

Et sicuti ad hoc spongia præsto erat, exinde intelligitur illud Augusti apud Macrobium *Aiax meus in spongiam incumbit*, Spongia hæc a Varrone dicitur spong deletitia, & huc quoque pertinent libri deletitii Ausonii.

Sic papyraceas, & tiliaceas chartas, & ovillas membranas, seu ex tergore aliorum animalium ad usum scribendi parabant; Sic per chartas, & membranas nodoso calamo literas ducebant. Sed longe alia scribendi ratio in *ceratis tabulis* erat, de quibus Ulpianus etiam loquitur.

Tabulæ, seu Tabellæ ex buxo strata desuper cera fiebant. Sed cum inter alios IC. hac in Le-

Lege *eboreos Codices* recenseat, ansam fortè dubitandi præstat, an in lubrico huius materiæ notæ firmari potuerint. Iosephus Scaliger magni nominis apud eruditos, salebrosum hunc locum complanare conatur, roboreos, non eboreos legens. Si tamen comunis lectio de antiqua possessione deturbari nolit; idem Scaliger inficias ire non audet de eboreis pugillaribus cera non delinitis locum hunc esse intelligendum.

Certum tamen est Tabulas ut plurimum buxeas fuisse. Prudentius pueros inducens tabellas in faciem D. Cassiani conicientes cecinit.

Buxa crepantcerata, genis impacta cruentis
Rubentque ab ictucbartæ, & humens pagina.

Et Propertius lib. 3.Eleg.

Non illas fixum ceras confecerat aurum,
Vulgaris buxo sordida cera fuit.

Proinde stylo æneonon calamo utebantur in tabulis, ex una parte acumine armato, ex altera lata superficie explanato; quorum primus notas exarabat, alter delebat; Unde Flaccus *sæpe stilum vertas*. Et idem Prudentius eodem loco prosequitur; *Inde alii stimulos, & acumina ferrea vibrant, qua parte aratis cera sulcis scribitur. Et qua secti apices abolentur, & æquoris hirti rursus nitescens innovatur arca.* Et Symposius in Enigmate Gophium sic describit.

De summo planus, sed non ego planus in imo;
Verfor utrumque manu, diverso & munere fungor
Altera pars revocat quicquid pars altera fecit.

Superest ut de Librorum ornamentis aliquid disseramus. Vilissimis mancipiis, ut cum Seneca loquatur libros ornandi munus demandatum fuit.

fuit. Pumicem primum ad hoc ut tenuissimos pilos chartis deraderent adhibebant; unde illud Catulli: *Arida modo pumice ea politum*. Varii insuper colores membranis inducebantur; alia enim earum bicolor, alia tricolor, alia quinque coloribus variata fuit. Hanc consuetudinem complexus est Persius cum dixit:

Iam liber, & bicolor positis membrana capillis.

Antequam vero libri consuerentur, & conglutinarentur, ferreo malleo tundebantur in quo puncto allucinatur *Accursius*, qui in §. *Sed nec cepti*, huius *Legis*, *Libros* malleatos glossatur esse libros asseribus inclusos. Asseribus praeterea includebantur, nunc citri, nunc eboris, nunc buxi. Unde Ovidius 3. Tristium:

Quod neque sum cedro flavus, nec pumice levis.

Spongia quoque ad delendas maculas adhibebatur, unde Martialis:

Instructum comitetur pumice librum
Spongia . . . . . .

Emendatorium tandem stylum in usum habebant antiqui, nam amanuenses illi qui eis praesto erant, artem omnem, studiumque in celeritate, & in notis strictisque compendiis collocabant; quapropter nihil facilius accidere poterat, quam liber plurimis mendis scateret. *Manlius lib.* 4. scribarum munus breviter perstringit.

Scriptor erit faelix cui litera verbum est,
Quique notis linguam superet, verbumque loquentis
Excipiens, longas nova per compendia voces.

Et festivissimus *Ausonius Epigrammat.* 137. velocissimum excipientem suum graphice describit.

His praecognitis quamplures errores in quibus irrepsit Glossator vitio temporum statim deteguntur, & sensus Legis facillime percipitur, qui sequens est. Primo librorum appellatione contineri

omnia volumina, quæ testator habuit, ex quacumque materia confecta essent, & tam volumina colligata, quam soluta; ratio est quia verba indefinita, æquivalent universali, & verbum genericum comprehendit omnes species *L. si plures* 98. *ff. hoc tit*, *L. si servitus* 22. *ff. de servit. urb. præd.* Secundo si centum libri legati sint, centum volumina debentur. Idem est enim volumen, ac liber. Et quanquam *Laurent. Valla* contrarium sentiat, tamen locum hunc non adsequitur; volumen enim nomen genericum est, quod et totum librum, & libri partes significat. Libri enim in cylindri modum complicabantur, & totum id quod ita volutabatur volumen dicitur. Tertio quod chartis legatis libri non debentur, nec membranæ, & libris legatis chartæ solutæ non debentur. Nam verba interpretari debent secundum eorum naturam, nisi aliunde constet de contraria testatoris voluntate. Propterea *Cuiacius consult*, 35. contra hunc locum ait, quod chartis legatis libri continentur, ut prudentes tribus argumentis coniectant; quod dixerit testator chartas quam libros habuerit, quod studiosus studioso ita legaverit. Coniectura enim voluntatis sufficit, etsi verba non sufficiant.

DIS-

DISSERTATIO II.

DE DIEBUS ROMANORUM

ad Text. in L. More Romano 8. ff. de Feriis.

O FORTUNATI nimium bona si sua norint,
Causidici latratores rabulæque Forenses;
Nummorum aucupium docti, legumque Tyramni?

Quam enim rerum antiquarum notitiam, quantam romanæ historiæ varietatem, & copiam, susciperent, haurirent, si tanquam nudi cantores formularum omni penitus eruditione neglecta ad sordida desidiæ diverticula non confugissent. Plurima enim est, ut ait *Cicero de Oratore lib. pr.* in Iurisconsultorum libris antiquitatis effigies, quæ & verborum priscam vetustatem, & actionum genera quædam, & maiorum consuetudinem vitamque declarant. Qua de re ea scientia, quæ Manlios, quæ Scævolas, quæ Servios ad amplissimum honoris gradum extulit, & evexit, hodie teterrimo gravique ignorantiæ morbo afflictata contemnitur, & pro nihilo habetur:

Sed cui non dictus Hilas puer, aut Latonia Delos?

Romanorum antiquitati lucem fœneratur *L. 8. ff. de Feriis*, ubi quemadmodum & in *L. 5. ff. qui Testam. fac. poss.* & in *L. pr. ff. Mandat.* romanorum mos in computatione diei breviter perstringitur.

Et primo varia apud varias gentes dierum ratio prælibanda est, aliter enim Babiloni, aliter Athe-

Athenienses, aliter Galli, ut multorum populorum nomina prateteamus dierum circulum descripserunt. Quidam enim ab exortu ad exortum solis, quidam a meridie ad meridiem, alii ab occasu ad occasum diei terminos circumscripserunt, Lucis incrementa, Astrologorum iudicia, diversa cælestis plagæ positio, rem semper ancipitem reddiderunt. Qui antiquorum Sententias, & mores excutere cupiunt, assiduos auctores C. Plinium, Censorinum, Gellium, & per Gellii vestigia gradientem Macrobium evolvant. Nos interea diem fuisse apud omnes gentes partim civilem, partim naturalem asserimus. Naturalis ab oriente sole, ad solis occasum usque circumscribitur; quo sensu Pædianus *Diem ait generis masculini* 12. *horarum esse*. Civilis vero tempus comprehendit quod sub una completa cœli vertigine diem naturalem, noctemque continet. Huiusmodi igitur dies, de quo sermo instituitur more romano, a media nocte suum sortitur initium, & sequentis noctis media parte finitur: quapropter intra 24. horarum spatium duas dimidias noctes, lucemque mediam includit.

Horarum nomen usque ad tercentesimum annum Romæ ignoratum fuisse probabile esse putamus. Nam in Legibus XII. Tabul. nunquam nominatas horas invenimus, ut in aliis postea Legibus factum esse observat Censorinus *cap.* 23. *de die natali*. Et Plinius indiscretam lucem usque ad ann. DXCV. Romæ suos radios variasse testatum reliquit. Qua de re dierum mensuram dividendo primum tempus mediæ noctis inclinationem appellabant. Sic Virgilius veterem ritum expressit cum auroram medium axem traicientem indigitavit:

Nox ruit Æneas, nos flendo ducimus horas.

Dein

Dein Gallicinium succedebat, ut innuit Horatius:
Ad Galli cantum Consultor ubi hostia pulsat.
Galli enim, ut ait Plinius lib. 10. *norunt sydera, & ternas distingunt horas interdiu cantu; cum sole eunt cubitum, diemque venientem nunciant ad opera mortales omnes excitando.* Mox Conticinium erat, ideft cum galli conticuerant. Plaut. in Asinar. *Redito huc Conticinio.* Inde diluculum quando videlicet prima lux agnosci cœperat, quam horam Gellius dicit *diuculare*. Manes deinde erat cum lux clariora radia iaculabatur. A mane denique ad meridiem diem prosequebantur. Postremo tempus occiduum solem occasum, supremamque tempestatem vocabant. Post supremam sequebatur hora illa, quam Plautus *Vespiginem*, Virgilius *Hyperon*, Ennius *Vesperum* nuncuparunt. Ultimo primæ faces accendebantur, & nox intempesta leviores umbras superfundebat. Virgil.
Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.
Nec reticendum diem militarem in quatuor vigilias, noctemque similiter Romanos divisisse; quarum vigiliarum usus, cum et apud Iudæos iampridem invaluisset, Romani in sua Castra transtulerunt. Lucanus lib. 7. *Tertia iam vigiles commoverat hora secundos.* Cœterum horarum distinctio antiquitus a Prætoris arbitrio pendebat, ut Plinius *lib.* 7. indicat; & Romanorum omnium doctissimus M. Varro abunde explicat lib. 5. de lingua latina. *Prætorem ait, accensum solitum esse iubere, ubi videbatur horam esse tertiam, itemque meridiem, & horam nonam.* At vero postquam Romæ reperta sunt solaria dies fuit in 24. horas distributus. Horas vero singulis officiis tribuebant, & ad hanc horarum partitionem forte respexit Cic. pro Muræna. *Romani tempora voluptatis, laborisque dispertiunt.* Egregie idipsum *Martialis* notum facit *lib.* 4. *ad Euphemum*

struſto-

ſtructorem Domitiani *Epigr.* 7. ubi loquitur de die naturali non civili, ideſt de eo die, in quo prima hora eſt cum illuceſcit, poſtrema cum ſol occumbit,

Prima ſalutantes, atque altera continet hora.
Exercet raucos tertia Cauſſidicos.
In quintam varios extendit Roma labores,
Sexta quies laſſis, ſeptima finis erit:
Sufficit in nonam nitidis octava paleſtris,
Imperat extructos frangere nona thoros.
Hora libellorum decima eſt Eupheme meorum
Temperat ambroſias, cum tua cura dapes.
Tunc admitte iocos, greſſu timet ire licenti,
Ad matutinum noſtra Thalia Iovem.

Hæ ſunt naturalis diei horæ, quæ æſtivo tempore longiores, hyemali vero breviores erant.

Solarium horologium ad horas indicandas conſtat *M. Valer. Meſſalam Conſulem* XII. annos ante Pirri bellum Romæ tranſtuliſſe, & ab eo in columna apud Roſtra defixum. Sed cum iuxta Siciliæ orizontem deſcriptum eſſet, *Q. Marc. Philippus Cenſor*, diligentius in ordinem redegit. Ingruentibus vero nimbis tunc incertæ erant horæ, uſque dum Scipio Naſica ex aqua horarium ſub tecto dicavit anno ab V. C. DXCV. quod et ipſum ſolarium vocabatur. Horologia ex aqua a Græcis inventa, ut ait *Vitruvius lib. 9. cap.* 10. & horum uſus apud *Demoſthenem* legitur. Tandem qui plura de horologiis eorumque diverſo uſu ſcire cupit, abunde poterit ex *Vitruvii* penu ea quæ ſibi præſto eſſe poterunt depromere.

Interea ut noſtra unde diſceſſit revertatur oratio, diem hunc civilem, quem Paulus a media nocte incipere, & ab altera media nocte finiri di-

dixit, Virgilius recondita veteris ritus significatione mente complexus est cum ait:

Torquet medios nox humida cursus,
Et me sævus equis oriens afflavit anhelis,

quod *&* *Gellius*, *&* *Macrobius* referunt, ubi oriens dicitur media nox. Idipsum explicat *Plutarc. Roman. quæst.* 84. Neque id *Varronem* latuit: quid enim in antiquitatis penetralibus ita abditum esse poterat, quod tanti viri aciem mentis fugeret; a quo ceu fonte perenni omnium antiquorum ora doctissimo eloquio rigantur. Ille autem in libro rerum humanarum, quem de diebus scripsit; *Homines*, inquit, *qui ex media nocte ad proximam mediam noctem, his horis* 24. *nati sunt, uno die nati dicuntur.* Et *Q. Mutius Gellio* teste dicere solitus fuit, Lege non esse usurpatam mulierem, & trinoctium non implevisse, quo abesse a viro causa matrimonii ex 12. Tabulis esse deberet, si tertiæ noctis partes, seu posteriores sex horæ alterius diei superessent. Sacerdotes Romani, vel ii qui diem hunc definiere civilem ab Egiptiis, & ab Hipparco, præcipue temporis hanc mensuram mutuarunt. Nam & hi *Plinio* auctore hanc inchoandi, & circunscribendi diei rationem servarunt. Ratio huius divisionis apud Romanos inter plures quas recenset *Plutarchus* ea esse videtur, quod Romanis plurima in bello noctu fieri necesse erat, ut oriente sole citius manus conferere possent; quam animadversionem, & *Cal. Rodigin. lib.* 11. *cap.* 1. probare videtur.

At vero neque apud romanos ita indistincte dies intelligi consuevit, ut semper pro duabus dimidiatis noctibus, & luce intermedia in stipulationem veniret. Quemadmodum enim diem natu-

turalem ab oriente sole, ad solis occasum in ore omnium semper usurpatum videmus, ita dies civilis quandoque iuxta subiectam materiam usurpari consuevit. Nam cum aliquid tractetur, quod aliam rationem in luce, aliam in tenebris habet, antiquissima, & vulgaris diei appellatio retinenda est. Sin autem quæratur de continuo temporis successiva Lege romana præscripto, sequi oportet romanam institutionem. Exemplum diei naturalis est in locatione operarum per totum diem; & diei civilis in materia præscriptionum, & propterea Pomponius in *L.* 2. *ff. de annuis legatis* ait diurnas operas deberi non a sexta hoc est a meridie, sed a mane, videlicet ab ortu solis usque ad occasum. Quod habemus *& in Leg.* 3. *& L.* 15. *ff. de operis libertor:* ubi opera dicuntur diurna officia, diei tamen naturalis in quo sol splendescit, & lucida tela iaculantur. Hinc quoque promanat quod *Ulpianus L.* 6. *ff. de usurpationibus & usucapionibus & L.* 7. *ff. eod.* ait; *qui hora sexta diei calendarum Ianuariarum possidere cœpit, hora sexta noctis pridie calendas Ianuarias implet usucapionem*. Quia cum agatur de die civili, hora sexta noctis pridie calendas Ianuarias transacta, iam incipit hora prima calendarum Ianuariarum. Apud nos quoque dies civilis observatur Ieiunio Ecclesiastico in Sacris peragendis, & in aliis Ecclesiæ functionibus.

Tandem pro coronide adferenda sunt in medium *Pauli* verba *lib. pr. ad Edictum in L. sec. ff. de verbor. significat.* „ *Cuiusque diei*, inquit, *maior pars est horarum septem*, *primarum diei non supremarum* „ *Accursius in glossa* huius Legis hallucinatur, & valde decipitur, mirifice postea labitur in Philosophicis, ut cuicumque legenti patebit, quæ

omnia

omnia risu excipienda sunt ; nam verbis non valde perspicuis densissimas tenebras obducit . Paulus igitur sic est intelligendus . *Maior pars lucis diei est a sexta hora matutina , usque ad primam pomeridianam* „ hoc est maior pars lucis est a prima hora post mediam noctem , usque ad primam horam post meridiem . Et ita maior pars diei civilis pro operibus exercendis est horarum septem „ De primis autem horis id asserit , non de supremis, quia supremæ horæ minus habent lucis , nam incipiunt a prima hora post meridiem , & progrediuntur ad sextam matutinam , seu mediæ noctis . Duodecim autem horis lucis in duas partes divisis, ponendo sextam vespertinam pro duodecima, erit hæc septima hora, quæ est prima pomeridiana, & maior pars diei, seu lucis tunc elapsa est .

FI DIS.

DISSERTATIO III.

DE RETRACTU.

Pragmatici fere omnes Ius retractus, seu praelationis, quod graece dicitur προτιμήσις barbaro vocabulo, & corrupto utentes, *Ius protomiseos* appellant; quod latine *Ius protimeseos* pronunciandum est.

Protimesin, seu praerogativam ex pacto habemus in Digestis *L.* 122. *Qui Romae* §. *cohaeredes de verbor. obligat.* sed Iuris *protimeseos* ex lege, vel consuetudine umbrae nunquam sunt, nisi in Codice. In *L. prim. Cod. non licere habit. lib.* 2. Vicanus, qui fundum venalem habet, convicanum praeferre debet extraneo emptori. Vicanus est qui in vico natus est; convicani, qui in eodem cum eo vico orti sunt; similiter qui fundum emphyteoticum vendit, colonum, & censitum praeferre debet. *L. ultim. Cod. de iur. emphyt.* Coloni erant fundis colendis praepositi, qui pensionem annuam; censiti vero, qui precium, & pecuniae pensionem, aut partem fructuum certam, & constitutam pendebant. At hae Leges, ut *Cuiacius instit. de contrah. empt.* observat, non pertinent ad Ius protimeseos, proprie acceptum, nam de dominis aiunt, non de propinquis, aut sociis. Suspicari tamen potest aliquid usu receptum fuisse a privatis *Diocletiani Imperatoris* aevo, hoc est circa annum Christi Domini 284. Nam *Diocletian. & Maximian.* argum. in *L.* 3. *Cod. de comm. rer. alienat.* cuidam Eusebio quaerenti num posset communis rei partem extraneo alienare posthabitis sociis, respondent falso ipsi

per-

persuasum esse partem rei communis extraneo alienari non posse; quibus verbis, ut indicatur, nulla eousque sanctione inductum fuisse *Ius protimeseos*, ita e converso non absurde arguitur aliqua ex causa dubitationem hanc Eusebio occurrisse; quæ si Legem tollamus nihil aliud quam privata consuetudo esse potest; & quidem nullius roboris, quia facultatem de rebus suis disponendi Romanis Legibus latissime patentem comminuit. Huic simile rescriptum eorumdem Cæsarum adnectit Accursius, quod habetur in *L. ante divisionem Cod. de iur. dot.* Sed hæc umbræ sunt, & simulacra iuris. Extat etiam *Plinii iunioris* locus, *lib.* 7. *epistol.* 11., qui agri hæreditarii quincuncem sibi delatam vendiderat. *Superest*, ait ille, *ut cohæredes æquo animo ferant separatim me vendidisse, quod mihi licuit omnino vendere*; quæ verba quemadmodum indicant summo Iure licitum fuisse, separatim vendere, ita forte argumentum præstant suspicandi, cohæredes iniquo animo hanc venditionem laturos, ob quandam honestatis rationem.

Illud interea liquido constat *in Cod. Theodosian. lib.* 3. *tit. pr. de Iure Protimeseos* Sanctionem extare; ibique assiduus auctor *Iacobus Gothofredus Constantinum Magnum* primum e *Mosaica Theocratia*, Imperiali Constitutione, non levi ductus argumento autumat Ius hoc in Romanam rempublicam invexisse. Ex Levitico enim *cap.* 35. *versic. vis attenuatus frater tuus: & Ruth cap.* 4. *& Hierem. cap.* 32. Ius hoc satis aperte deducitur.

Pro certo etiam habendum est ante annum Christi Domini 390. Cæsarum auctoritate constitutum fuisse inter socios Ius de quo agimus protimeseos. Nam quamvis de eo Imperialis Sanctio desideretur, extat tamen Imperatorum *Valentinia-*

H 2 *ni*,

ni, *Theodosii*, *&* *Arcadii*, qui eo anno ad Imperium evecti fuerunt, rescriptum ad *Flavianum Praefect. Praet. Illirici*, *&* *Italiae* in *L. dudum Cod. de contrab. empt.* in quo habetur dudum proximis, consortibusque concessum fuisse, ut extraneos ab emptione removerent. Qua Constitutione id iniuriae privatis illatum esse, ut nec possent suo arbitratu vendenda distrahere, adeoque anteriorem Legem abolendam iubent. At vero Imperatores Constantinopolitani hoc Ius primum in Oriente restituerunt.

Romanus enim, & *Constantinus Porphirogenita* post onn. fere sexcentos; etenim imperarunt post annum Ghristi D. 912. intermortuum Ius excitarunt. Nam *Romanus in novell. de alienation. poss.* quam post *consuet. feud. Cuiacius* edidit, abrogata *L. dudum Cod. de contrab. empt.* ad emptionem fundi distrahendi primum vocat cognatos, consortes, deinde socios, quos voluntas, quos fortuna coniunxit, & demum qui eidem domino canonem pensitant, exclusis extraneis. *Constantinus* vero *Porphirogenita* simili *Novella a Cuiacio* edita prohibet alienationem praediorum militarium in extraneos.

At in Occidentem hoc Ius delitescebat, vel privata consuetudine transmissum, vel usu tempore Diocletiani, vel ea sanctione, quam *Valentinianus*, *Theodos.* *&* *Arcad.* abolere voluerunt; vel demum, ex Oriente populorum commercio in Occidentem traductum fuit. Quorum quid probabilius sit non est ad praesens inquirendum. Nam & Saxones Ius protimeseos in suas condidere Leges, quae antiquiores sunt *Friderici II.* aetate, ut observat *Cuiacius de feud. lib. 2. tit. 4.* Et in Legibus Mediterranei Maris, quae ante annum Christi Domini 1075. latae fuere *cap.* 53. hoc ius haud dubie relatum legitur.

Re-

Revixit vero Ius protimeseos etiam in Occidente post octo sæcula, & alterius fere dimidium a *Valentin. Theod. & Arcad.* prohibitione; demum circa annum 1250., ut vult *Card. De Luc. de servit. disc.* 68. Imperiali Constitutione excitatum in *L. Sancimus*, quam ut ait *Cujacius ad L.* 122. §. *cohæredes de verb. obligat.* transtulit Fridericus ad verbum, ex Romani Lecapeni Novella. Optime itaque, quod ait vir Summius *consult.* 9. non longius repetendum esse Ius protimeseos, quam a *Romani* Constitutione in Oriente, & *Friderici II.* in Occidente, si civilem auctoritatem spectemus, quam nemo præstare poterat, nisi Imperator; quamvis privata consuetudo, ante ea tempora satis appareat.

Sedulo tamen græcam Lecapeni, & primam *Friderici II.* sanctionem consului, certiorque sum factus hanc alterius versionem continere ad verbum, & ubi in ea προτιμήσις legitur, in hac Ius *protimeseos* iuxta Cujacianam editionem redditur. Qua de re Fridericum, non Legumlatoris, sed fidi Interpretis vices gessisse autumo. Constitutio vero *Friderici II.* quam *Bartolus*, *Oldendropius*, & *Afflictus* edidere mutila est, & corrupta, ut monet Cujacius, qui integram cum sequenti de eadem re prodidit.

Iidem igitur, qui sententiam Constitutionis Friderici corrupere, Iurisperiti, meo indicio corrupterunt, & verba & pro προτιμήσεως, quod constanter legitur in Cujaciana editione primo quidem fecerunt protimiseos η *eta* pro ι *ita*, ut recentium græcorum mos est elata; deinde *i* in *o* corrupta *protomiseos*, vel quod absurdius est, & habetur apud *Afflictum prothomiseos* ridendo magis errore, quam defendendo dixerunt, quod in sæculi tenebris, & colluvie haud sane mirandum.

Pro

Pro coronide adnotandum pluribus in locis huius prærogativæ vestigia in Legibus reperiri, ex quibus haud abunde coniici potest Ius istud in Oriente plurimum valuisse ab antiquis usque temporibus. Nam *L. 6, Cod. Theod, de contrab. empt.* Titulus inscribitur *de Iure protimeseos*. Cuius Legis rescriptum relatum est in *L. dudum Cod. Iust. de contrab, empt.* Quod tamen unica exceptione, & sententia auxit *Tribonianus*, ut notat *Gothof.* Valde tamen dubitari potest, an hi tituli in Codicibus adiecti, & adsuti sint a Librariis, seu a mædii ævi Scriptoribus, qui interprætationes Legibus subiecerunt. In Harmenopuli Prochiron *lib.* 3. præfixum legimus Titulum *peri protimeseos*; Sic quoque oculos convertendo *ad tit.* 3. *ex num.* 112. *ad n.* 131. multa de hoc Iure cumulari inveniemus,

Sub Lotharii quoque Imperatoris ævo id usitatum, qui circiter anno 850. imperavit. In quadam enim Constitutione sua dominum in alienatione Feudi extraneo præferri mandavit. Ad cuius exemplar *Constantinus Porphirogenita* in Oriente Novellam *peri stratiaton* promulgavit. *Conradus* quoque *Imperator*, qui multo ante *Fridericum* regnavit, in ea Constitutione, quam de Beneficiis edidit Ius hoc delineatum reliquit, cum facultatem coercet alienandi militaria prædia. In Legibus quoque Saxonicis non uno in loco relatum legitur, & *Gothofredus* testatur in antiquissimis Statutis Italiæ, veluti Bononiæ, & Mutinæ relatum haud dubie reperiri.

In Oriente quoque post Constitutionem *Theodosii*, *Valentiniani*, & *Arcadii* suspicor nihilominus usu viguisse Ius de quo loquimur. Arbitror enim *Romanum* Seniorem cum ad novam formam redegisse, non extinctum revocasse, nulla enim in

in Novella huius rei fit mentio. Et quia circa hanc prærogativam novum fistema efformavit; ideo prioribus Legibus, vel consuetudinibus derogavit, & quasi fons Iuris evasit. *Epistola enim* 27. *lib.* 9. *Symmachi* de consortio ad ius Protimeseos, ante constitutionem Theodosii exarata, nominatim asserit legibus cautum esse post peractam semel venditionem, & inveteratam bona fide possessionem contractum rescindi non posse; quod secus est *in Novella Romani*. Extat etiam *Epistola* 87. *lib.* 2. eiusdem *Symmachi* fratrem ad Flavianum ubi agitur de non rescindenda venditione bona fide semel perfecta; quod ex diametro opponitur seniori Constitutioni. Hinc Ius istud valde verosimile est, per Orientem diffusum satis fuisse; Nam *Nicephorus Phoca Nov.* 3. apud *Harmenop.* ad alias species porrectum coercet: Cum antea Ius esset quod pauperes in emendis potentiorum possessionibus præferrentur; sed & propinquo prælatio data fuit in anticresi rerum soli præ extraneo per Novellam prima Michaelis seu Manuelis de Prælatione ubi Scholion videtur apud Harmenop. d. loco.

Igitur per multas ætates in utroque Imperio, ante utriusque Sanctionis promulgationem Ius protimeseos reperitur, nunc privatis moribus, nunc Imperiali constitutione vallatum; Nusquam tamen Ius *Protomiseos* nuncupatur, sed *Protimeseos* præter quam a barbaris mædii ævi Interpretibus.

)o(❦)o(

DIS-

DISSERTATIO IV.

AD LOCUM HOMERI

Iliad. XVI. ψ verſ. 386.

DIEBUS ELAPSI contigit mihi divertere ad quendam doctorum hominum conventum, ubi forte ſermo incidit de Iuriſperitis; multa dixerunt de eorum ignorantia, & moribus, poſtremo de improbitate in Iudiciis, quia ſæpiſſime non dubitent, contra id quod ſentiunt, bona, & ſubſtantias alteri adiudicare gratia, aut auro corrupti. Aderat ibi Medicus doctiſſimus, mihique valde amiciſſimus, qui addidit, Iuriſperitos nunquam, vel heroicis temporibus probos audiiſſe, cuius rei teſtem advocabat *Homerum Iliad. XVI.* ψ *verſ.* 386., & locum monſtravit. Ulterius adiecit, Medicos contra honeſtiſſimos haberi apud omnes, ab Homero autem tam mirifice extolli, ut multis aliis unus Medicus comparetur. Tunc umbraticus quievi, neque enim in promptu erant rationes quibus tantam vim inſtructam profligarem. Domi reverſus locum Homeri conſului, & certior ſum factus ibi ſenſum eſſe diverſum ab eo, quem illi clariſſimus vir affinxerat. Homeri locus eſt:

Ζεὺς ὅτε δὴ ῥ ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνη
Οἵ βίῃ ειν αγορῇσκολιάς κρίνωσι τεμισος.
Εκ ἵ δικλυ ἐλάσωσι τιῶν δπινὺκ αλεγοντες.

Et ita latine vertitur:

Iuppiter quando iam viris iratus ſævit
Qui per vim in Foro perverſa edunt Iudicia,
Iuſtitiam autem expellunt; Deorum
Vindictam haud timentes.

At-

Atque in primis non satis mirari possum Medicos conviciis hisce suis, vibratisque sententiolis non e trivio deprompris Iurisperitos impetere, cum probe norint, quanta sit nobiscum iniuriarum communio. Adeant igitur Philemonem apud Stobæum *sermon. centel.* μόνω δ' ιατρω ὄντω καὶ συνηγόρω ἐξεσειν ατοκτῖνει νμεν, ἀγουνήσκειν δὲ μή: Lucit: *Soli Medico, & patrocinatori usque adeo licitum est occidere, non autem occidi:* Et Tacitus Annal. XI. cap. 6. *quemadmodum morborum vis pretia medentibus, sic Fori tabes pecuniam Advocatis fert*. Non enim si Iurisperiti, vel Medici male rem gerunt, mala quoque medicinæ, vel iurisprudentiæ scientia iudicanda est; ut probe differit Cicero de legib. lib. II. *Neque Medicorum præcepta dici vere possunt, si quæ inscii imperitique pro salutaribus mortifera conscripserint; neque in populo Lex, cuiusmodi fuerit illa ex qua perniciosum aliquid populus acceperit*. Præter quam quod si Iudices sententias suas auro aliquoties mercati sunt; soli ne ipsi ob lucri libidinem inique opus suum exercentes, pessum Iustitiam, æquitatemque dederunt? avaritia est humani generis dominatrix, quæ vitiis hominum crudelia pabula præbet. Nec vero vires tantummodo exerit suas in Foro litibus mugiente, & inter Iudicum septa; exerit, & in ædibus regum, undas mane salutantium vomentibus; exerit inter sævas Martis acies, armorumque fragorem; & inter Medicos etiam multa nobis exempla suppeditat veneni propinati, & abortus intempestive editi, & alia plurima avaritiæ exempla, omnium personarum, quæ loquacem delassare valent Fabium. Unde *Propertius*

Quisquis habet nummos secura naviget aura,
Fortunamque suo temperet arbitrio.

Et revera si mentem subeant dicteria, quibus non dicam

adoriuntur, sed penes omnium ordinum homines, & Medici, & Iurisperiti, & Theologi, & Mercatores, & Principum Regumque a Consiliis, pene obruuntur; accusationum cardinem esse videbis pecuniæ cupiditatem, & quæstus immoderati libidinem; unde vitio Iurisconsultis non est vertendum quibusdam; quod commune malorum hominum piaculum nunquam fortasse expiandum dici potest. Notum est illud Horatii *Carm. lib.* 3. *Od.* 16.

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulminea: . . . .

Inde tam elata Petronii enphasis:

Quid faciunt Leges, ubi sola pecunia regnat,
Aut ubi paupertas vincere nulla potest?
Ipsi qui Cynica traducunt tempora cœna,
Nonnumquam nummis vendere verba solent.
Ergo Iudicium nihil est nisi publica merces,
Atque Eques in causa, qui sedet empta probat.

Et Horatius *Satyr.* 4. *lib.* 2.

Qui meliorem audax vocet in Ius: illius esto
Defensor: fama civem, causaque priorem
Sperne, domi si natus erit, fœcundave coniux.

Cum igitur pecunia sit malorum omnium fons, & origo, & hæc quosdam Iudices fortasse corruperit; non video quod accusatio ista, Iurisconsultorum honorem; pudoremque in universum lædere possit; dum talis ærumna communi hominum conditioni facillime convenire videatur.

Tantum vero abest quod hæc pestis Sententias venundandi, omnem Iurisconsultorum rempublicam impune invaserit, quin imo Legibus 12. Tabularum statutum erat, quod Iudex, arbiterve Iure datus, qui ob rem dicendam pecuniam accepisse convictus esset, capite plecteretur, ut refert *A. Gellius lib.* 20. *cap. pr.* Primo quoque capite Legis Cinciæ

cautum erat, ne quis ob caufam orandam donum, munufve capiat, ita multo magis Iudices ob Sententiam ferendam; qui Iudices temporibus Augufti confueverunt ad Puteal Labeonis fe nunquam pecuniam recepturos iurare. Hoc quoque impofitum *ab Iuftiniano Novell.* 124. Clientibus, & Advocatis. Quæ omnia fufe profequitur *Brummerus in Commentar. ad L. Ginciam*. Conftat propterea Leges noftras ftudium omne, nifumque pofuiffe, ne Iuftitiæ Sacerdotes in Iudicio quæftum ponerent; & ne rabulis, & cauffidicis forum irrepentibus avaritia Patronorum ad maiorem rerum flagitationem procederet. Hic vero non inopportune mentem fubeunt pulcherrima Q. Sectani carmina, quæ relligionem Iudicum fuo ævo defcribunt, & præteritorum crimina accufant.

Proh pudor! ante ipfum quondam gallina Tribunal
Stridebat deviucta pedes, mullique natabant
Barbati, caufamque tenerriffimus agnus agebat.
At nunc muneribus nulla eft reverentia, pauper,
Ac dives folo diftabunt nomine, nec Ius
Accrefcet nummis. Popano corruptus iniquas
Non fignat Tabulas Iudex: nec late perunćta,
Fæcoroque garo prodit fententia labro;
Non mixtas crudo ructat petafone rubricas,
Turbidus Ædilis. . . . .

Quæ carmina etfi hironice pronunciata ad *L. Cinciam* non incongrue referri poffunt fuo ævo reftauratam.

Sed quoniam, ut Senecæ verbis utar *ad honefta vadenti, contemnendus eft omnis contemptus*, ad quæftionem accedens arbitror locum *Homeri Iliad.* 16. *verf.* 386. prorfus ineptum effe ad im-

ponendum Iurifconfultor. honori. Ibi enim non agitur de Legum Interpraetibus, nec de privatis hominibus Iurifprudentiam exercentibus fecundum Leges; fed de Regibus, & Praefectis fingularum Graeciae urbium penes quos Populos regendi, & iudicandi arbitrium erat. Et quoniam res heroicorum temporum indaginem pofcit; certum eft Homericis temporibus Leges in Foro latas nequaquam fuiffe, quas prudentes interpraetarentur; fed folum apud Reges ipfas figendi, & refigendi, & iuftitiam, aequitatemque declarandi poteftas fuit; arbitria enim Regum pro Legibus erant. Sic igitur Regum hiftoria fe habet.

Aureo illo rudique Saturni, quem Graeci dicunt faeculo, antequam avaritia diffociaffet mortales, beneficia naturae in promifcuo erant; fatis erat illa uti parens in tutelam omnium, & homines communiter rebus omnibus fruebantur, cum haec effet publicarum opum fecura poffeffio:

Non fignari quidem, aut partiri limite campum
Fas erat, in medium quaerebant, ipfaque tellus,
Omnia liberius nullo pofcente ferebat.

Quam vivendi confuetudinem pingere videtur *Homer in Ciclop. Od. lib.* 9. Poft haec vero tempora irrupit in res optime pofitas habendi libido, & dum feducere aliquid alicui homines tentant, & in fuum vertere, divitias, & paupertatem agnofcere potuerunt; ufque dum ad cohibendam hominum violentiam delecti fuerunt ii, quorum de iuftitia magna effet multitudinis opinio; & hi reges funt nuncupati. Origo enim eligendorum Regum fic refertur apud *Ciceron. fecundo Officior.* „ *Fruendae iuftitiae caufa videntur olim bene morati Reges conftituti; nam cum premeretur initio multitudo ab iis, qui maiores opes habebant ad unum aliquem confugiebant virtute praeftantem,*

qui

qui cum prohiberet iniuria tenuiores, æquitate constituenda, summos cum infimis pari iure retinebat. Et lib. 3. de legib. *Omnes*, ait, *antiquæ gentes regibus quondam paruerunt, quod genus Imperii primum ad homines iustissimos, & sapientissimos deferebatur*. Quod animadvertit *Aristoteles politicorum cap.* 10. *& Hesiod. in Theog.* 5.

Hoc uno Reges olim sunt fine creati;
Dicere ius populis, iniustaque tollere facta.

Sed hi reges non tantum ab aliis nequaquam vim depulerunt, verum aliena postmodum rapientes in proprium lucrum trahebant; & ut servitio cœteros premerent, populo necessarias res subduxerunt, eaque firmiter conclusa servarunt. Tunc belli rabies, & amor successit habendi. Sic penitus vitæ communionem, & fædus humanæ societatis per vim diripuerunt. Et inter extremam hanc humanæ libertatis internecionem Principes isti viri Græcorum iniustas Leges sanxerunt, & iniquis Iudiciis iudicarunt; ut notat *Lactantius Div. Institution. lib.* 5. *cap.* 6. „ Leges sibi „ etiam iustitiæ nomine munitas iniustissimas, ini„ quissimasque sanxerunt, quibus rapinam, & ava„ ritiam suam contra vim multitudinis tuerentur. „ Et tantum auctoritate, quantum viribus & opibus „ prævalebant; & quoniam nullum in his iustitiæ „ vestigium fuit, cuius officia sunt humanitas, „ æquitas, misericordia, iam superba, & tumida „ inæqualitate gaudebant, altioresque se cœteris „ hominibus satellitum comitatu, & ferro, & insi„ gni veste faciebant. „ Hinc hominum superbo sub iugo gementium querelæ, & eiulatus, qui indignatos Deos commovebant; hinc illud *Homeri*

Ζεὺς ὅτε δὴ ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ;
Οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας &c.

Iuspi-

Iuppiter quando iam viris iratus ſævit,
Qui per vim in Foro perverſa edunt Iudicia.

Iliad. XVI. verſ. 386. Quæ interpretatio noſtra adeo veritati conſona apparet, ut ex ipſis *Homeri* carminibus in contrarium allatis robur accipiat.

Notandum enim eſt, quod ibi homines dicuntur per vim iudicare in Foro **βίηεἰν ἀγορῇ**, quod ad Iudices Legum Peritos aptari minime poteſt; congruum vero redditur iis Regibus, qui ſatellitum comitatu ſtipati ſupremam iudicandi poteſtatem per vim, & metum exercebant. Præterea nulla tunc erat Legum interpretatio, ſi nullæ in Tabulis Leges erant inſculptæ. *Solo* enim, *Licurgus*, *Zaleucus*, aliique Græciæ Legum latores adeo poſt Homeri tempora floruerunt, qui vixit circa annum 168. poſt bellum Troianum, & circa annum Periodi Iuliani 3701. ut nefas ſit hoc in dubium revocare. Itaque poſt hanc malorum regum tyramnidem, quæ Homæricis, & heroicis temporibus plurimum exercebatur Leges latæ ſunt. Prout *Seneca Epiſtol.* 90. mirifice confirmat. *Poſtquam ſurrepentibus vitiis in tyramnidem regna verſa ſunt, opus eſſe cœpit legibus, quas inter initia tulere ſapientes. Solo enim, qui Athenas æquo iure fundavit, inter ſeptem ævi ſapientia notus; Licurgus, quem ſi eadem ætas tuliſſet ſacro illi numero acceſſiſſet octavus. Zaleuci Leges Charondæque laudantur. Hi non in Foro, nec in Conſultorum atrio, ſed in Pithagoræ tacito illo ſanctoque ſeceſſu didicerunt Iura, quæ florenti tunc Siciliæ, & per Italiam, & Græciæ ponerent.*

Verum enim vero ut ad evidentiam uſque probetur Homeri temporibus nullas latas fuiſſe Leges, quas homines interpretarentur audiendus eſt *Iuſtinus Hiſtor. lib.* 2. ubi teſtatur, quod *Solon* pri-

primus omnium Leges Athenienſibus tulit. Verba eius ſunt haec. *Apud Athenienſes nullae Leges tunc erant, quia libido Regum pro Legibus habebatur, quando electus fuit Solon, vir Iuſtitia inſignis, qui veluti novam civitatem Legibus conderet*. Id. *Hiſt. lib. 3. de Licurgo* teſtatur: *Licurgus*, ait ille, *cum ſucceſſit fratri Regi Spartanorum, non habentibus Spartanis Leges inſtituit, & Magiſtratibus Iudicia, Senatui cuſtodiam Legum permiſit*. Sed longum eſſet ire per ſingula; quid enim latinos Auctores excutimus, cum graecus Poeta Heſiodus, qui vel coaevus, vel natu maior *Homero* fuit in *pr. lib.* ἔργον καὶ ἡμηρῶν evidentiam ſententiae noſtrae confirmat. Alcraus illevates Perſam fratrem ſuum ibi alloquitur, eumque a Forenſibus contentionibus dehortatur, quia infeliciter in re familiari verſetur, & donivoros reges donis demulceat; quae verba βασιλῆας δωροφάγους clare oſtendunt reges prava, & perverſa iudicia, non Iuriſperitos tuliſſe; quem locum perpendit *Gellius lib. 18. cap. 2. Noct. Atticar.* Quod maxime elucet ex poſteriori ſententia, in qua pronunciat Populum luere regum delicta, qui alio deflectunt iudicia oblique ſententias pronunciantes, eoſque hortatur, ut ab iniuſtis iudiciis remis veliſque deflectant. Siquidem tunc temporis libido Regum pro Legibus erat, & ut teſtatur *Euſtath. Iliad. pr.* regium munus erat iudicare. Plurimum vero differunt Reges ab Iudicibus. Hi enim iura conſtituunt, iſti vero Leges iam conſtitutas interpraetantur; primi in iure conſtituendo, ſecundi in iure conſtituto criminantur, Sed *Homerus* ipſe iudicia in Regibus fuiſſe fatetur *Iliad. lib. 2.* Nulla igitur inter Reges, & Iudices iuriſperitos analogia, vel rerum communio, aut officiorum. Animadvertendum eſt etiam *Homerum* in Athenarum ditione ſub Archontibus vixiſſe,

ſe, & a Medonte Athenarum Rege hoſpitio fuiſſe receptum, ut tradit *Auctor* libelli, de *Homeri*, & *Heſiodi* certamine. *Velleius lib. pr.* „ *Hi Reges, ut Medon, dicti ſunt Archontes græca voce, qui ad inſtar Regum erant, ſed adminiſtratæ reipublicæ Populo rationem reddere tenebantur*. Antiquitus igitur regnandi, & iudicandi poteſtas apud eundem fuit, qui Reipublicæ gubernacula ſuſceperat. Minoes qui optimus Græcorum Iudex vulgo reputari meruit, Cretenſium Rex fuit; hinc Homericis temporibus Sceptrigeros Iudices eſſe reperio. Sic Priamus apud Troianos teſte *Virgilio*, regnabat, & iudicia exercebat; *Eneid. lib.* 7.

Hoc Priami geſtamen erat, cum iura vocatis,
More daret Populis . . . . . .

Sic Dido lib. 1.

Iura dabat Legeſque viris . . .

Indorum quoque Rex, teſte *Curtio lib.* 8. temporibus *Alexandri Macedonis Capillum ſibi pectens, & ornans iura Populis reddebat*. Et de *Saturno* Rege Romanus vates:

Is genus indocile, & diſperſum in montibus altis,
Compoſuit, Legemque dedit . . . . .

Nec eſt reticendum Romanos Conſules, olim Iudices nuncupari ſolere, ut colligitur ex formula Lictorum *Venite ad Iudices*. *Mitridates* quoque, ut refert *Plin. lib.* 7. *cap.* 24. *Duorum, & viginti gentium Rex, totidem linguis iura dabat*. Carbonem itaque pro theſauro invenit, qui putat locum Homeri ad Iudices Iuriſperitos referri poſſe. Qui vero adire velit Plinium ſeniorem *lib.* 29. *cap.* 1. eximiam Medicorum laudem apud Romanos colligere poterit.

OE-

CARMINA
LATINA & ITALICA



Nemora vero , & luci , & ſecretum ipſum , tantam mihi aſſerunt voluptatem , ut inter præcipuos carminum fructus numerem , quod nec ſtrepitu , nec ſedente ante oſtium litigatore , inter ſordes , & lacrymas reorum componuntur , ſed ſuccedit animus in loca pura , & innocentia , fruiturque ſedibus ſacris . Auctor Dialog. de cauſ. corrupt. eloquent.

PRO REDITU AD VILLAM

E L E G I A

BLANDA QUIES , placidæ tranquilla ſilentia vitæ ,
  Quæ procul incolitis ſemper ab urbe lares ,
Veſtra redux repeto , raptus civilibus undis
  Commoda blanditias , otia , ruris opes .
O me felicem ! te nunc ; mea gaudia , cerno
  Villula , deliciis facta beata meis .
Nunc iuvat , & Sylvam , dulces & viſere fontes
  Arvaqua pervigili parta labore mihi ;

Nunc iuvat & lætis redimitas vitibus ulmos,
Atque oleam circum cernere Palladiam;
Et ſtabulo incluſas vaccas, nitidoſque iuvencos,
Tauroſque aſſuetos flectere colla iugo.
Fluminis, & ripas Peſæ firmo aggere clauſas,
Quo viret, & frondens arbor, & alta ſalix.
Et collem quo caſtaneæ nemus omne vireſcit
Hoc quoque de ſtudiis creſcit ad aſtra meis.
Nec nocte in media ſonitu, ſtrepituque rotarum
Concutior, ſubito cum tremit ipſe thorus.
Nec galli ad cantum conſultor ubi oſtia pulſat
Tædia ſollicitus ſentio, & excrucior,
Nec lædunt caupona, & raucæ murmura plebis,
Nec quæ tam aſſidue ſacra metalla ſonant.
Hic dulces nati, puer, & formoſa puella
Amplexu facili colla paterna petunt.
Et lenis mecum Coniux, cui cura Penatum eſt,
Sed paribus votis, conſilioque pari.
Mane Theam famulus confertim in pocula miſcet
Perfundit pectus labraque gratus odor.
Hinc Arabum baccas Iaſmini veſpere torrent,
Unda potens nitida fluctuat in patera.
Villicus hinc læti, & mihi me reddentis agelli
Munera ſolerter, deliciaſque parat.
Agreſtes epulas mihi ſobria menſa miniſtrat,
Comprimit ingenuam ſobria menſa famem.
Nam neque divitibus contingunt gaudia ſolis.
Multa ſagax ſecum gaudia pauper habet.
Vidi ego veſani ſubter laquearia Craſſi
